














D. STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LUSITANI

Olim Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Sanitatis Consiliarii, & in Pisana Academia Medicinam supraordinario loco docentis

TRACTATUS DE NATURA MULIEBRI SEU DISPUTATIONES AC LECTIONES PISANÆ.

Nunc primum in lucem editus.





Cart

FRANCOFURTI,

Apud HERMANNUM à SANDE.

M. DC. LXIIX.



Illustrissimo Clarissimoque Viro

D. VALENTINO FARINOLÆ,

J. C. Corso Bastiensi, & Sereniss. Magni Etruriæ Ducis Auditori.

PArentes honore prosequendos lex humana, ac divina jubet. Nihil in præsentiarum meo genitori honorificentius præstare potui, quàm ejus labores è tenebris erutos atque summa diligentia conquisitos tuo nomini, Vir perclarissime, inscribere. Tu eris præsidium illis, & decus adversus obtrectatores Zoilos, & Aristarcos præsidium. Decus, tuarum virtutum splendore eos illustrans. Illud valebit hoc volet: ita suadebit amor, qui mutuo nexu amborum animos complexus est, dum in Pisano Lyceo uterque morabatur. Pater meus virtutum omnium harmoniam, ac sapientiæ magnitudinem in te mirabatur. Tu in illo singularem animi candorem ac peritissimam philosophiæ scientiam vehementer suspiciebas. Ille nunc post cineres superstes vivus volitat per ora Virorum, tu vitali aura fruens insignibus muneribus antea Senis nunc Florentiæ præfulgens ad nominis immortalitatem inoffenso pede velocissime contendis. Vale.

Dominat. Tuæ

Addictissimus servus

FRANCISCUS CASTRENSIS.

Habes

BENEVOLO LECTORI.

Habes candidatum immortalitatis Auctorem nigris capitibus aliquando petitum. Ejus venenam planè gemmeam uberrimè hauserat Academia Pisana, ubi is duos & viginti annos titulo supraordinarii honestissimo multiplicem tractavit materiam cum admiratione pari Auditorum, & fructu. Felicitatem verò in curandis morbis cum ætatis illius mortales sensere, tum Dynastæ inprimis, summique Principes celebrem encomiis reddidere. Ex his Cardinalis Amplissimus sua manu hæc scripsit (annus erat millesimus sexcentesimus, trigesimus primus pridie Idus Aprilis) ex medicis, quotquot usus fui Patavinis, Venetis, Bononiensibus, Florentinis, Romanis, & si quibus aliunde, Neminem unum affirmo parem Stephano Roderico Castrensi à me esse repertum. *Hæc autem tanta gloria, quæ omni major invidia crederetur, ciere pruritum potuit nescio cui juveni medico, ut de alieno ambitiosus, ex manuscriptis Doctoris nostri lectionibus in Hippocratem de flatibus, quæ sibi fortè in manus devenerant, duas ipsas excerpere, suoque nomine præfixas evulgare ausus sit: & unam quidem idiomate corrupit vulgari, inscripsitq. APOLLO: Alteram verò, quæ ex quæstionibus erat latino ipso stylo Auctoris intacto, QVÆSTIONVM SCHOLASTICARVM titulo impertivit: Vtrum impudens magis fur, an imprudens: ipse caverit. Enimverò & imprudentiam juvenilem demum arguet canitie sua tempus, tardo procedens, sed certo vestigio: & furti simul impudentiam propalam accusabit splendor nativus Auctoris nostri in reliquis voluminibus, quæ favente Cælo subinde prodibunt in omnium oculis. Tu interim (lector candide) hoc accipe DE NATVRA MVLIERVM: simul & agnosce in homine demortuo vivum adhuc, cum nomine ipsius immortali, consulendi humano generi studium. Vale.*

TRA-



Andreæ Vesalij & Valuerdæ falsa vesicæ felleæ delineatio.



Iulij Iasolini vesicæ felleæ vera secundum sensum delineatio.


STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI ANN. ÆTAT. LXXVIII
Exprimit Autoris vultum Pictura, sed Autor
ipse sui vires exprimit ingenii.



TRACTATVS DE NATVRA MVLIEBRI

SEU

Disputationes ac Lectiones Pisanæ;

AUCTORE

STEPHANO RODERICO CASTRENSI LUSITANO

Olim Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Medico, & in Pisana Academia supraordinario Loco docente.

PRÆFATIO.



N hoc præsentis anni literario curriculo, meæ erunt partes, & provincia ultro suscepta agere de natura muliebri, de qua, sicut de omni materia, circa quam quispiam versatur, duo inprimis, ex Aristotelis decreto, forent inquirenda: unum an sit? alterum quid sit? primum tamen manifesta res est, in præsente omitti potest: etenim homo natus de muliere muliebrem naturam esse in rerum natura, propinquiusque in humana, ni sui sit impos animi, non inficiabitur. Alterum pertractare est necessarium: quamvis enim multiplex naturæ significatum ejus cognitionem obscuram reddat, audendum nihilominus est, & qua nos sciendi desiderium ducit, eundem Galenus hanc obscuritatem non sustulit, imò auxit: cum enim nos docere debuisset quas naturas appellet Hippocrates morborum medicas, conveniens esse ait hanc naturam esse vim quandam in his ipsis corporibus, quæ ab ea reguntur inhabitantem, & tamen non se adhuc essentiam naturæ tradidisse fatetur, siquidem adjungit

Prima Lectio Ann. D. 1634.

6. epid. sect. 5. com. 2.

jungit hujus essentiam, quænam sit, minimè necessarium esse tunc quærere, sicut neque de anima nostra, neque de ejus principe parte. At ego putarem ad cognoscendam naturam quæ corporibus nostris medeatur opus esse præcognoscere, quidnam sit hæc natura. Deinde si naturam, vim quandam esse dicit, vis autem est potentia: nempe qualitas de secunda specie qualitatis, quæ eo ipso quod natura est, naturalis potentia dicitur, nonne jam sic explicavit essentiam naturæ? quid amplius inquirit. Tandem cur vim appellat, hoc est qualitatem, naturam, cum tamen alibi substantiam esse dicit. Cæterum quænam sit anima medicatrix & quomodo sit substantia mox dicemus.

Gal. an. animal. sit c. 4. Cæterum tam de anima, quam de natura multa, quæ valde essentialia sunt nobis ipse tradit, differentiam constituens inter utrumque: quippe naturam mortalem atque terrenam esse ait, intelligentiæ expertem, quæ rationem non habet, & mortalem solum circulum novit, operamque interitui obnoxiam accipit. Animam autem ab universis animis, ex cælesti choro delapsam, scientiam suscipere, semperque viam, quæ ad simile ducit sequi: Quare terram quidem superat, ab erroribus aquæ sese avertit; transcendit aerem; fit igne superior, & cælestem divinitatem attingit, sæpeque errando cælestem locum intuetur. Hisce verbis, quis negabit multa ad naturæ essentiam spectantia contineri, utinam simul etiam vera, de quo non est hic locus inquirendi. Denique ex professo in principio commentarii de natura humana pertractavit, licet ferè omnia ex veterum sapientum penu fuerint deprompta. Verum quæ hactenus confusè fuerunt prolata, deinceps, quoad fieri poterit distinctè ordinatimque trademus.

Nomen φύσεως, hoc est naturæ trifariam acceperunt veteres naturalium rerum perscrutatores, qui propterea φυσικοὶ, hoc est naturales fuerunt nuncupati. Inprimis naturam esse dixerunt substantiam, non genitam, sed sempiternam, omnibus corporibus, quæ generantur, & corrumpuntur subjectum. Hanc Plato nutricem; matrem; formabile susceptaculum; rerum omnium acceptaculum; locum, nominibus scilicet appellativis, appellavit. Vnde constat non adhuc Platonis seculo nomen ullum proprium ei fuisse inditum. Posteri ὕλη quasi rudis & non dolata lignorum materia apta construendis ædificiis fuit nuncupata. Tandem, ut Chalcidius est author, Platonis discipuli primi omnium materiam primam dixerunt: quoniam autem inter Platonis discipulos Aristoteles principatum obtinuit, credibile est hunc præfatæ nomenclaturæ artificem fuisse. Quoniam vero ipse materiam, sicut & Mundum ipsum non genitam sed sempiternam statuit, nos sicuti ei assentien-

sentientes materiam Mundo coævam facimus, sic ab eodem penitus dissentientes Mundum ab æterno esse negamus.

Ingenitam tamen, & sempiternam, alia longe diversa ratione esse fatemur. Ingenita quidem est: quia primo non per generationem producta, sed per productionem ex nihilo creata nunquam amplius reproductione opus habuit. Sempiterna vero non à parte ante (jam enim diximus fuisse cum Mundo productam) sed à parte post: quippe non habet causas à quibus corrumpatur. Unde post universi conflagrationem adhuc in Mundo renovato formæ substabit, perfectiori tamen modo: nempe quemadmodum formæ cælesti nunc sua materia substat: hoc est absque dispositionibus corrumpentibus compositum. Quod autem formis successivè discedentibus, compositum jugi vicissitudine oriatur, & intereat materia semper manente eadem videtur mihi sapientissimus expressisse Salomon cum ait, *generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Ecol.c.1. Cum enim de generatione hominis loquatur, eamque in perpetuo fluxu, & refluxu esse dicat non secundum unum, & idem individuum, sed secundum plura sub una specie, terram in æternum stare, nempe materiam eandem permanere affirmat. Appellat autem materiam primam, terram: tum quia veluti terra rebus aliis substat; tum quia præter animam, quæ est forma, remanet materia, nempe terra. quod significavit ipse, inquiens, *& revertatur pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hoc est anima, quæ est forma de foris adveniens ad suum Creatorem se recipiet; pulvis autem, nempe portio materiæ quæ formam sustinebat, ad terram, videlicet, ad communem materiam revertetur.

Altera acceptio naturæ quam veteres tradiderunt, est qua dicitur id, quod peculiari ratione, singulis corporibus, quæ oriuntur, & intereunt, inest. In hac mihi videtur ignotum per ignotius tradidisse. Nam quæsiti quid natura sit respondent esse id quod peculiari ratione corporibus inest. At nemo est qui nesciat peculiarem cujusque naturam peculiari ratione singulis inesse, sicut communem omnibus ratione communi. At debuerant nos docere præter naturam specificam; quid est id quod superadditum peculiarem cujusque efficiat. Sunt qui dicunt esse temperamentum: quippe Hippocrates, ut Galenus existimat, *in libro de natura humana*, naturæ nomine utitur juxta hanc secundam acceptionem, & insuper, ut idem Galenus tenet, ibi naturam accipit pro temperamento. Non mihi displicet hæc opinio, dummodo tamen temperamentum non per se solum intelligatur, sed eo modo quo infra dicemus. Alius fuit, qui dixit id quod peculiari ratione corporibus in-

est, esse quidem materiam, non primam, nam hæc jam priore acceptione manet comprehensa, sed aliam, quam proximam appellat, nec declarat quænam sit hæc proxima. forsitan proximam vocat eam quæ corporeitatis formam jam suscepit, unde proxima redditur accipiendæ formæ substantiali. Sive ergo ob hanc formam corporeitatis, sive ob alias quascumque dispositiones proxima dicatur, semper est materia prima, & quatenus materia prima, dicitur natura, superadditæ autem dispositiones non sunt quæ dicuntur inesse propria ratione, sed sunt ipsa ratio inessendi; per has enim dispositiones inest natura corporibus. Quare sive dicamus priore modo naturam esse materiam primam; sive posteriore materiam proximam, utrumque in unum, & idem coincidit.

Potius videtur dicendum, id quod peculiari ratione corporibus quæ oriuntur, & intereunt, inest, esse periphrasin, qua forma substantialis significatur, hæc enim est id per quod res est id quod est, & peculiari ratione hoc est, sua propria essentia, suum compositum distinguit ab aliis. Inest autem corporibus quæ oriuntur, & intereunt hoc est, sublunaribus, & sic differt à natura cælesti.

Dicet tamen aliquis veteres non potuisse intelligere naturæ nomine formam: quia forma eis non adhuc erat nota, sed in rerum principiis conquirendis toti ad materiam convertebantur. Et tamen respondebo philosophos qui unum tantum principium statuebant, illud in materia sola collocasse, qui verò duo alterum tanquam materiam, alterum tanquam formam considerasse. Sed quicquid sit de aliis, de Aristotele verissimum est ab eo formam non solum simpliciter naturam esse dictam, sed magis naturam quàm sit materia & merito: nam, ut ipsemet ait, unumquodque tunc dicitur, cum actu sit magis, quàm cum potentia.

2. Phys. text. 12.

Tertia naturæ acceptio est qua accidentia præcipuè propria, & inseparabilia natura quædam esse dicentur. Hæc tamen impropria censetur, solumque recipi potest quod nos ad naturæ cognitionem ducit: ideo dicitur natura sensibilis, nam forma, atque materia abstrahendo ab accidentibus sola cõsideratione agnoscuntur, accidentia sunt quæ sensui se offerunt. Nec verò necessariũ est, ut omnia accidentia ad constituendam naturam istam concurrant; sed sufficit unum, vel alterum. Exemplo est Moly herba scilicet, quam Mercurius Vlyssi tradidit ad evitandas Circes incantationes, ejus namque naturam Homerus describens ait, *flores habuisse albos, radicem verò nigram.*

In qualibet istarum trium acceptionum natura est incompleta, omnes tres, simul efficiunt completam: nam forma, & materia partes

sunt.

sunt compositi naturalis, ex earum conjunctione necessario, necessitate physica pullulant accidentia, & perficitur unum quid natura appellatū. Atque hæc est illa natura quæ ab Aristotele receptissima definitione dicitur principium, & causa motus, & quietis ejus, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens, quam definitionem Philosophis explicandam relinquo. Solum animadverto materiam esse principium motus passivum, formam activum. Unde ab Aristotele natura duplex esse dicitur, alia quidem, ut materia, alia ut forma. Accidentia verò, teste eodem, conferunt, secundum magnam partem, ad cognoscendum ipsum quid est, & sic tota natura sensibilis constituitur, quæ apud Metaphysicos non differt ab essentia rei, in quo sensu natura divina, natura angelica, natura humana, & alia similia dicuntur. Solumque differunt, quia quoties naturam dicunt, respiciunt ad operari, essentiam vero ad esse. *2. Phys. tex. 8.* *1. De Anim. tex. 11.*

Sed restringi oportet intra medicos cancellos, & quæ ibi magis communia sunt naturæ significata contemplari. Statuite pro hypothesi tres esse facultates corpus nostrum gubernantes, quarum prima dicitur animalis, in cerebro residens, & inde sensum motumque arbitrarium per nervos, in universum corpus diffundens; altera vitalis, quæ exercet principatum in corde ex quo per arteriarum tubos, & calor naturalis, & pulsandi facultas transmittitur; tertia naturalis quæ tametsi unicuique membro sit indita ejus principatus in hepate sedem habet: hepar namque si non influit facultatem, at certè materiam communicat, nempe sanguinem per venarum ductus, qui accretionis, nutritionisque vera, atque unica materia in sanguineis est, in exanguibus verò aliquid quod supplet vicem sanguinis. Singulæ harum facultatum seorsim apud Galenum naturæ nomine donantur.

In primis virtus animalis, quæ sola, inter reliquas libertatis in agendo est particeps, natura ab eo fuit appellata, quando dixit velle se intelligere naturæ nomen pro omni facultate, quæ animal, sive voluntatis nutu, sive citra hunc regat. Hæc ergo facultas nutu voluntatis animal regens, nonne ea est quam animalem appellavimus? Juxta hoc significatum Medicus naturæ errores corrigere censetur: quippe sentiendi, movendique facultas à causis præter naturam coacta, falsas edit sensationes, motusque erroneos, quos Medicus sua industria causam aufferens, morbificam ad meliorem frugem reducit. *2. de caus. sympt. c. 1.*

Altera facultas est vitalis, in corde residens, hanc quoque idem Galenus naturæ nomine dignatur: nempe quando ajt thoracis motum ab anima esse, cordis verò à natura; quasi dicat thoracem moveri ope musculorum, qui facultatem animalem à nervis sibi insertis suscipiunt, *7. Usu p. c. 9.*

cor verò moveri à natura, hoc est à facultate vitali, quæ natura quædam esse putatur. Juxta hunc sensum Medicus dicitur naturæ imitator, nempe in fine tam enim natura, quam ars unum, & eundem sibi finem proponit, vitæ custodiam, & sanitatis tutelam. Quando autem naturam non in fine modo, sed etiam in mediis imitatur, tunc accipitur natura pro facultate, tertio modo dicta, hoc est pro facultate naturali, e.g. quando, (ut advertit Galenus) contingunt evacuationes, quas natura factas esse dicimus, vel à natura, vel naturales, tunc observandæ sunt ut cùm venerit occasio iis cum manifesto ægrotantis emolumento Medicus utatur.

Advers. Iul. c. 5.

Itaq; tertia facultas, quā naturalem appellari diximus, magis proprie quam aliæ natura appellatur: quippe cum eam animam concupiscibilem Plato, animam vegetabilem Aristot. vocaverit, Stoici non animæ quidem nomine dignati sunt, sed naturā appellarūt. Stoicis adhæret Galenus quāvis quasi precariò animam etiam sed cum addito naturalem abusivè dici admittat. Hæc facultas natura illa est de qua Galenus loquitur, quando postquam sanguinis missionem in omni febre putrida commendavit, rationem adjungens ait, levata namque, quæ corpus nostrum regit natura, exonerataque eo, quo veluti sarcina premitur, haud ægrè, quod reliquum est, vincet. Itaq; proprii muneris haud oblita, & coquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. Ecce coquēdi & excernendi actiones quæ duarum facultatū naturalium, quas ministrantes appellamus, sunt, naturę nomine comprehenduntur. Formatrix facultas quæ inter naturales recensetur, dici solet natura illa quæ membra nostri corporis efformavit huic valde mirabiles tribuuntur effectus, de quibus alibi agendum est.

11. Meth. c. 15.

Non solum facultates, sed earum ministrum calorem naturalem naturam solent tum Hippocrates, tum Galenus appellare, v. g. cùm dicuntur ventres hyeme, & vere natura calidissimi esse, natura, inquam, hoc est calido innato. In hoc sensu crediderim ab eodem fuisse dictum, *morborum naturæ medicæ*, quamvis enim Galenus ibi naturæ nomine intelligat vim quandam in ipsis corporibus quæ ab ea reguntur inhabitantē, nihilominus magis exquisitè loqueretur, si calidum innatum diceret, siquidem vis omnis corporibus viventium inhabitans à calido innato est. Hippocrates autem de viventibus loquitur & de morbis, qui sunt passiones viventium. Iuxta hanc naturæ acceptionem Medicus naturæ minister appellatur, utpote qui in caloris innati ministerio semper satagit, sine quo neque salus neque vita constare queunt.

Hipp. 6. epid. sect. 5. tex 1.

Temperamentum quoque apud Galenum adeo frequenter natum est,

eſt, ut nihil frequentius reperiri, hoc ipſemet fatetur, & in hunc ſenſum explicat verba illa aphoriſmi. In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quibus nihil iſtorum congruit. In hoc etiam ſenſu arbitratur Galenus naturæ nomen in toto libro *de natura humana* accipi. *Gal. 3. aph. 41.*

Non eſt tamen exiſtimandum temperamentum ad eam dignitatem accedens, ut natura dici queat, eſſe compoſitum quoddam ex quatuor qualitatibus, quæ dicuntur primæ, & nihil aliud.

Nam quis hujuſmodi complexui qualitatum mirabiles tribueret vires, quibus natura eſt prædita, niſi ſecum ſimul haberet ſociam formã ſubſtantialem, imo prædicti effectus, qui tam temperamento, quàm ſubſtantiali formæ attribuuntur magis formam, quàm temperamentum ſapiunt. Accipite ventriculi v. g. humani, quæ poteſtatem conficiendi chyli habet: non quemlibet conficiet chylum, ſed talem, ex quo caro humana, non equina aut quælibet alia fiat. Nonne in hac actione forma ſubſtantialis affulget magis, quàm qualitatum primarum complexus?

Siquis verò interroget cur Hippocrates in libro *de natura humana* neque formæ, neque materiæ, ſed temperamenti, & humorum qui temperamenti ſunt ſoboles mentionem fecerit? Reſponſio eſt in promptu. Medicum agebat, Medicus artifex eſt ſenſualis, res per ſenſum dijudicans: ad ſenſum neque forma, neque materia ſpectant; neque etiam ad morbos ergo quæ philoſophica erant omiſit, quæ medicam auſcultationem poſtulant tractanda ſuſcepit.

Habet ergo temperamentũ à forma quam ſibi ſociam adjùngit, quod ſpecificum dicatur, ut equinum, bovinum, leoninũ, humanũ & hoc ultimum præſtantiſſimum omnium eſſe merito Galenus affirmat. Si verò quæratur, cui nam cura incumbit diſtribuendi has formas per hæc temperamenta? ſcire oportet hoc animæ univerſi munus eſſe, quæ natura univerſalis dici ſolet, & à Galeno mens per omnia permeans appellatur. Hæc ſuas ideales formas, quaſi radios diffundens, in progenitoribus vim imprimit reſpondentem (ut Ariſtotelis eſt ſermo) elemento ſtellarum, quæ facit ut fæcunda ſint ſemina: ineſt ergo ſemini ſic fæcundato virtus qua formæ tam quæ educuntur de potentia materiæ, quàm illa quæ de foris advenit, materiæ conjunguntur, ex qua conjunctione præfixum unicuique pullulat temperamentum, quod ſpeciem infimam omnino complens ſpecificum appellatur, & hoc totum eſt illa ſpecies infima quæ natura tum equina, ſic de cæteris appellatur, tum etiam humana & habemus materiam libri *de natura humana*, hoc eſt de humano temperamento formæ humanæ, & materiæ primæ adjuncto.

Accipite humanum e. g. individuum quodpiam illudque per singulas ætates deducite, nusquam temperamentum specificum mutabitur, hoc enim immutabile est nisi velimus dicere Nabucodonosorem mutatum fuisse ex homine in bestiam, ex bestia in hominem, quod tamen falsum est; & quamvis verum foret, ad supernaturalem causam refertur. Permanebit ergo specificum, mutabitur tamen debitum unicuique ætati temperamentum, atque ita in puero, erit quidem per temperamentum specificum naturæ humanæ homo, per superadditum verò temperamentum, puerile, (quod similiter in aliis speciebus licet comprehendere) jam ergo nobis proponitur materia libelli *de natura pueri.*

Iterum individuum ducite per singulos sexus (distinctionem sexuum in animalibus perfectis nunc ex hypothesi accipite) in unoquoque sexu præter speciei ætatis temperamentum, dabitur aliud quod illi sexui cōveniat, si mas esse debet, masculinum, si fæmina, fæmininū. Iam ergo istud temperamentum sexus suam peculiarem sexus naturam efficiet, virilem, si vir est, sin mulier, mulierem, & sic habemus naturam muliebrem, à nobis diligenter conquisitam quæ materia sit libri *de natura muliebri.*

Quoniam autem mores hominum corporis temperamentum sequuntur, mores etiam non solùm apud Medicos, sed communiter apud omnes natura appellantur, unde est illud

Natura sequitur semina quisque sua.

sunt porrò viri, & mulieris temperamenta diversa diversi etiam mores, adeò ut mirari liceat quomodo in duobus individuis, unius speciei infimæ tanta contingit morum diversitas, quæ in natura humana magis cernitur, quàm in belluina: quippe belluas ducit instinctus, qui semper uniusmodi est, hominem voluntas, quæ libertatem habet adjunctam: præterea belluarum temperamentum in qualibet specie unius individui parum distat ab alio: omnes enim leones parum inter se temperamento distant: quippe cum una species brutorum uni tantum occupationi sit addicta, non oportet ut à natura habeat diversitatem temperamentorum. Homo autem infinitis propemodum actionibus dicatus varia obtinet temperamenta.

Sed diversitatem istam temperamentorū juxta sexuū discrimen, forsitan aliquis non admittet: quandoquidem mulieres virili animo præditas nobis natrant historiæ, quas longum esse referre, sicut etiam viros muliebribus exercitiis deditos. Huic dubio faciemus satis, duo pro hypothesi habentes, unum, cuique temperamento suam inesse latitudinem, quemadmodum sanitatis latitudinem Galenus nobis tradit; alterum

rum temperamentum muliebre deterius esse temperamento virili quod inferius tractabitur. Potest ergo vir delabi in deterius, & temperamentum imperfectum obtinere, quod tamen non egrediatur è suis terminis, atque ita temperamentum istud virile propter imperfectionē ad muliebre ferè accedet, dixi *ferè* quoniā natura, quæ imperfectionem abhorret, resister, ita ut manens vir intra suos limites non abeat in fæminam, sed tamen quia ad fæmineum accedit, fæminæ similis evadet talis est turba cinædorum, qui gentibus, verbis, & obscænitate morum fæminas imitantur. Ex altera parte fæminæ, quæ prope virile temperamentum perfectione accedunt, viriles inducunt mores.'

Adhuc tamen argumentabitur aliquis: nam hactenus probavimus duntaxat fæminas perfectione sui temperamenti posse accedere proximè ad temperamentum virile, oportet autem causam reddere cur mulieres quam plurimæ viros tam bello, quàm pace, tam in œconomia, quàm in politica, ac denique in literarum studiis viros superaverint. Responsionem incipiam ab axiomate celeberrimo Dionysij Areopagitæ supremum infimi attingit infimū supremi. Cum ergo temperamentum muliebre inferius sit poterit sua perfectione superiorem attingere, cum autem attingat, & magno impetu feratur ad id quod est melius extremos adhibet conatus, quibus, & suam muliebrem naturam, & virilem etiā aliqua ex parte transcendit. Magnam habere vim conatus naturæ nos docet Cræsi filius, qui à nativitate mutus cum militem conspiceret stricto gladio Regem Cræsum eius patrem jamjam obtruncare parantem, adeo vehemente nisu seipsum impulit, & loquutionis instrumenta commovit ut exclamaverit penitus in hæc prorumpens verba ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον homo ne occidas Cræsum. Franciscus Valleriola refert quendā *In observ.* fuisse, qui resolutione multos annos laborans, cum diu resolutus mansisset, incendii metu, cùm se à domo saltu præcipitem dedisset, domo, & lecto prope incensis, incolumis, & probè incedens derepente factus est. Contingit sæpissimè ægrotantes vi morbi proximos interitui subito specimen sanitatis præ se ferre, adhibente scilicet natura extremos conatus, quorum tamen vis parum durat, & lætitia vertitur in luctum. Hos autem conatus adeo universalis natura particularibus imperat, ut inanimatorum etiam genus eos exequatur, ut unusquisque in lucerna jam jam propter defectum olei extinctioni propinqua potest considerare.

Demum tam in sanitatis, quàm in ægritudinis statu hoc muliebris & virilis discrimen naturæ apparet, & in sanitate quidem multa contingunt mulieribus, quæ virili conditioni & sexui contingere haud quaquam possunt. Menstruæ purgationes adeo mulieribus peculiares

habentur, ut usitato nomine muliebria dicantur: quæ si desint, aut minuantur; si redundent, si prævertantur pravi ominis est, naturaliter fluentes utilissimæ. Has vir sanus non habet, licet ex morbo hæmorrhoidales sanguinis fluores patiatur. Lactandi tempore lac colligunt in uberibus, quæ in hunc usum sagax fabricavit natura; non sicut in viris, quorum mamillas tanquam nævulos quosdam esse, nullius usus gratia dixit Damascenus. Non me latet Andream Lacunam testem se oculatum exhibere, nonnullorum, qui in Lotharingia, & Germania purgationes muliebres ordinata vicissitudine patiebantur, & lac in mamillis gignebant, viri (ut ipsi notavit) in otio, & mollitie alti, totaque victus, & exercitii ratione effœminati. Sed hæc portenta sunt prorsus contemnenda, nec recipiendus Aristoteles qui tanquam rem non admodum mirabilem in manibus etiam lac fieri posse ait.

[*17 hist. c. 12.*] [*An viri lac producant, vide Mercurial. de morbis mul. l. 3. in præfatione.*]

Mulier præterea concipit in utero, & fœtum edit, nam viro etiam potest hoc idem contingere. Sunt qui annuant uno, vel altero exemplo freti. Dorotheus medicus (ut refert Phlegon Trallianus) in commentarios suos retulit, Alexandriæ in Ægypto cinædum peperisse. In Germania (referente eodem Tralliano) in exercitu Romano, quem T. Curtilius Mancias duxit, servus militis peperit. Q. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione Coss. Narrat Cælius Rhodiginus, apud Gymnosophistas Indorum quasi per manus hujus opinionis autoritatem tradi, Budam principem dogmatis eorum è latere suo virginem generasse. Cæterum hoc fabulosum esse nec fidem ullam merere certissimum est: hoc, inquam tertium exemplum: neque enim è latere nisi per sudorem virgo illa in lucem edi potuit, aut sicut de Baccho poetæ canunt, qui prius in jovis coxam fuit immissus, postea aperta ruptura emissus. Alia vero duo priora exempla possibilia quidem sunt, dummodo parturientes non meros viros esse credamus, sed anadrogynos utrumque habentes sexum, utrumque fœcundum. Hinc est quod hujusmodi duplice natura præditi cum ad ætatem coeundi accedant, à Magistratu accersiri jubentur, & quo sexu uti velint interrogantur eo quem eligunt utuntur impune, altero uti capitale est; Quod autem Androgyni utroque sexu sint fertiles confirmat id quod Callisnes credidit, Sabellicus detulit: nempe supra Natamonas Machlyes habitare, Androgynosque esse, utriusque videlicet naturæ, virbusque inter se coire. Aristoteles adjicit, dextram his mammam virilem esse, lævam muliebrem. Quod si verum est quod Dion prodit & Rhodiginus refert Psyllos esse omnes viros neque compertam esse psyllam fœminam, possumus dicere hos quoque Androgynos esse, & licet in concubitu aliqui eorum fœminarum partes

[*de mirabil. & longævis.*] [*lib. 14. Ant. Lect. c. 1.*] [*lib. 4. onn. 1.*] [*lib. 4. Antig. Lect. c. 23.*]

partes, agant, aliter nec conciperent nec parerent aut saltem ab imperfectis Zoophytis non differrent, nihilominus omnes, ne vicinis contemptui forent, virile specimen præ se ferre. Itaque hæc non impediunt quo minus fœminæ perfectorum animalium peculiare sit tum in utero gestare, tum etiam parere.

In statu ægritudinis tot sunt affectus præter naturam, quorum participes sunt mulieres, viri autem immunes, ut quamplurimi viri doctissimi, Hippocrate ducente agmen, volumina non parva *de morbis muliebribus* scripserint. Interim sciatis mihi animum non esse expositorem agere in *librum de natura muliebri*, qui sub Hippocratis nomine circumfertur; tum quia liber iste multa continet quæ magis confutatione, quàm expositione egent; tum quoniam expositoris munus est verba, & sententias autoris sui, rupto plerumque tractationis filo enucleare. Præstat igitur solitariam viam sequi, quam alteri inhærendo disturbari, & pedissequorum in morem herilibus inhærere vestigiis. Favete animis non pauca vobis non prius audita in hanc scenam prodibunt, quæ spero fore jucundissima simul, & utilissima. Ea autem à me in extrema senectute constituto, & olorino more cantante vobis dilectissimi adolescentes

Sint quasi de Domini funere cœpta sui.





SECTIO PRIMA.

DISPVTATIO PRIMA.

Discriminis inter utrumque sexum causa.

1. Lectio.



QVoniam animalia non gressilia, ut testaceum genus, & quæ saxis adhærentia vivunt, natura plantarum simili constant, ut in his, sic illis mas, & fœmina deest, sed similitudine quadam, proportioneque, & utero gestare, & parere, & sexus nomen accipere dicuntur. Hæc est Aristotelis sententia sæpius repetita. Quare juxta ejusdem doctrinam, mas & fœmina de plantis & animalibus imperfectis ad perfecta per proportionem analoga possunt censeri. Ex omnibus autem his quæ non coeunt, sola palma rationem sexus univocè cum animalibus perfectis participare videtur. Tanta in hac planta vis est ad discriminandos sexus. Fœmina in subjectionis specimen masculo suos inclinat ramos; ejus vicinitate fertilescit; absentia sterilescit, arescit. Quod si fructum edere desinat, sui masculi semine quomodocunque aspersa surgit, & veluti concubitus oblectamento recreatur. Tandem si mas & fœmina non longo inter se spatio distent, ruunt in mutuos amplexus, & fortiter se se invicem implicant, adeo ut nullo nisu divelli queant. Hæc omnia cum admiratione accipimus; quis enim elicitos amoris actus, ubi nec amor est, neque cognitio, non admirabitur? Cur autem palma inter reliquas plantas hanc obtinuerit prærogativam, unum est ex iis quod in arcanas causas referri debet. Secus in animalibus perfectis, quæ ad coitum, per quem generationis opus peragitur, mutuis stimulis, tam mas quam fœmina agitantur.

Finalis causa inquiritur.

SI quis finem cujus gratia sexuum discrimen à natura omnium parente fuit institutum, inquirat, in non leves incidet difficultates, quas explanare operæ pretium erit. Inprimis si dicamus gratia generationis fuisse

fuisse datum, quæram ego si generatio omnibus tum animalibus perfectis, tum imperfectis, tum etiam plantis sit communis, cur similiter hæc distinctio non omnibus communis est? Imo videtur natura magis plantis, & animalibus, quæ plantarum more affixa vivunt, aliisque imperfectis & ex putredine ortis indulsisse quàm perfectis: siquidem illa uno sexu ornavit, hæc duobus oneravit.

Deinde alvi excrementa, & lotium naturam ad expulsionem sui irritant & sine externo aliquo, & forinsecus adveniente stimulo ad exitum proritantur. Cur ergo semini non adveniet idem? Imo longe majore ratione semen debet non expectare aliunde stimulum: siquidem, ejus exitus delectat, multos secum spiritus, quibus proritus debetur, defert, & per membra transit exquisitissimo sensu prædita.

Tertio gallinæ ova subventanea edunt, mulieres molas, utrumque sine masculi consortio: de gallinis satis constat, de molis ita complures gravissimi authores, suo tempore nominandi ita sentiunt. Sunt, fateor, partus isti imperfecti, sed imperfectio ex ineptitudine materiæ advenit: agens autem quantum in se est, suo munere fungitur, nempe concipit & parturit fœmina absque masculo.

Quarto sexuum discrimen accidens est, accidens autem, & adesse, & abesse potest absque subjecti corruptione, absit ergo maneatque subjectum nullam corruptionem passum. Nonne hinc arguitur non esse istud discrimen sexuum necessarium; At si necessarium non est, non est cur instituatur à natura, quæ sicut non deest in superfluis, ita non abundat in necessariis.

Hæc tamen argumenta non tanti sunt, quæ nos cogant recedere ab Aristotelis receptissima sententia; quippe ait: cùm principium sit eorum mas, atque fæmina, fit ut generationis gratia sit mas æque fæmina. *Ar. 2. gen. animal. c. 1.* In quibus verbis animadversione dignum est philosophum ex eo quod principium animalium sit mas, atque fæmina deducere generationem esse id cujus gratia est mas atque fæmina, hoc est generationem esse causam finalem. Duo sunt principiorum genera in animalibus; Alterum mediatum; scilicet mas, atque fæmina, alterum immediatum, videlicet semen, & sanguis menstruus. Vtrumque genus unum & eundem habet finem, nempe generationem, & meritò: nam instrumentalis causa dirigitur ad finem sui principalis; mas aut fæmina imo utrumque generans est, utiturque instrumento nempe semine & sanguine menstruo. Id autem quod est principium, habere eundem finem cum suo principatu constat. Nam unum quodque agit propter finem, principium autem agit propter id cujus est principium, itaque generationis principium nullum

nullum alium finem sibi proponit, nisi ut generatio recte succedat. Sic lux est principium diei, & diei gratia fit, hoc est ejus causa finalis est dies.

Æ.1.gen.an. c.2. Probat etiam Philosophus sexuum discrimen ad generationem dirigi similitudine ducta, ab ordine universi: quemadmodum enim in universo natura terræ quasi fæmina, materque statuitur; cœlum autem, & sol, & reliqua generis ejusdem, nomine genitoris, patrisque appellantur, sic mas dicitur id quod in alio gignit; fæmina, quod in se ipso. Plures alias apud eundem reperietis hujus rei rationes, quas repetere tædiosum esset. D. Thom. 1.p.q.91.ar.2. Vnam ex D. Thoma elicere libet, quæ (sit dictum cum pace tanti viri) censuram videtur expostulare. Animalia, inquit ille, perfecta, ut homo, non habent utramque virtutem activam, & passivam conjunctam, sicut plantæ, quæ ex semine fiunt: cum enim in his non sit aliud perfectius vitæ opus quam generatio, non oportebat omni tempore permissum esse utrumque sexum, sed coitus tempore permisceri. Hæc tamen ratio in via Aristotelis recipi posset: cum enim vim passivam duntaxat fæminæ tribuunt masculo duntaxat activam, rectè dicit Angelicus Doctor hominem non habere utramque virtutem activam, & passivam simul conjunctam. Cæterum nos cum Galeno (ut suo loco exprofesso tractabitur) tenemus & fæmineum & masculinum dari semen, & utrique, tam efficientem, quam materialem inesse vim. Deinde deficit in eo quod debuerat nos docere cur ex eo quod generatio sit perfectissimum vitæ opus, sequitur non potuisse toto tempore permistum esse utrumque sexum, neque ut puto, hoc posset probare: quid enim impedit perfectio operis quo minus agentia sint inter se perpetuo conjuncta? Crediderim potius dicendum, cum opus ejus sit natura, ut non jugiter, sed per intervalla fieri debeat, non oportebat utrumque sexum semper esse conjunctum, ne scilicet maneret ociosum, sed per intervalla etiam utrumque permisceri.

Denique probari potest sexuum distinctionem necessariam esse, ut generatio commode fieret; quoniam alioquin unumquodque animal perfectum intra se ipsum conciperet, & tunc duo damna sequerentur. Vnum quod continua seminis effluxio generationem impediret; alterum quod animal perpetua gonorrhæa laborans colliquaretur, quod damnum homini præcipuè, utpote facile colliquabili perniciosum esset.

Contra primum damnum potest aliquis argumentari, illud non esse verũ: neq; enim multitudo seminis generationem impedit, imò potius qui in matrimonio conjuncti mutui amoris igne flagrant frequenter coire, & copiosam prolem gignere. Quod si meretrices quæ crebro coëunt, non concipiunt, id accidit quia diversorum hominum semina non

facile

facilè in unum permiscentur: non autem quia ex crebro coitu semen plurimum augetur. Respondendum tamen est, aliud esse frequentiam coitus in qua datur intervallum, quo possit materia concrescere, aliud verò assiduus, & importunus seminis cōfluxus, quo uterus repletus intumescit, subvertitur, relaxatur. Nam quemadmodum helluones avidè cibos appetunt, cùm verò fuerint valde repleti, eorum ventriculus subvertitur, nauseat, evomit: sic uterus salacitate sua seminis valde appetens, illud in se suscipit, quod si redundet vulva aversionem patitur, & non amplius illud amplectitur. Meretrices licet diversorum hominū semina suscipiant, posset tamen unum ex his apprehendi, concrescere, & in fœtum evadere. Cæterum frequens Venus facit ut vulva præ madore relaxetur & retentioni inepta reddatur. Diocles Medicus (ut refert Mercurialis) habuit hanc opinionem ideo scorta infœcunda, quia in coitu non effundunt semen: propterea Messalina Imperatrix prostitutæ libidinis dicebatur quidem lassari, non tamen satiari, eo quod semen non emittebat. Attulit & aliam causam, quia ex frequente coitu vulva callum contrahit & asperitates amittit, nec in semen potest continere, vel etiam quia uterus ipse resolvitur & uteri substantia.

Itaque generet homo intra seipsum: nunquid id opus cum voluptate fiet, an citra delectationem? si actio non sit voluptuosa, utiq; homo variis curis distractus operationem hanc utilissimam omitteret; sin erit delectabilis tunc habens intra se delectationis instrumenta plus nimio veneri indulgebit, fietque ἄμουσος καὶ ἀφιλόσοφος, hoc est à Musis, & philosophia alienus, quod damnum similiter incurreret homo si intestinorū involucris careret (ut Plato annotavit relatus à Galeno) quippe in, *Gal. 4. de usup. c. 17.* volucrorum defectu alimentum celeriter permeans, in necessitatem redigeret resumendi continuò cibum, insatiabilemque ingereret gulositatem.

Solvuntur argumenta initio proposita.

AD quæsitum initio factum, cur scilicet si generatio omnibus, tam stirpibus, quàm animalibus est communis, cur etiam non est communis sexuum discretio? Respondetur jam superius dictum esse plantas, & imperfecta animalia tametsi non habeant veros sexus, habere tamen quandam eorum similitudinem, quod manifestè ostendit: quàm necessaria sit hujusmodi distinctio: siquidem ubi potest adesse, adest; ubi non potest, aliquid saltem ei proportione respondens à natura est datum. Sic in simili sanguinem nutritioni maximè necessarium habent ea animalia, quorum

quorum temperamentum sanguini gignendo est aptum, quæ verò generare sanguinem nequeunt ob innatam frigiditatem, habent quidem aliquid, quod verò sanguini proportione respondet, quod non siluit Aristoteles. Si vero quæratis cur imperfecta sunt discriminis sexuum incapacia? in promptu est responsio: nam quæ affixa sunt, æquum est, ut producant semen, quod non aliunde expectet auxilium, ac proinde indistinctè, & marem, & fœminam in se conjuncta habens; quod si conjuncta fiunt, non oportet ut varietate sexuum dividantur. Quæ ex putredine oriuntur, aliqua utrumque sexum habent, & procreant quidem, sed sui generis prolem, ut Aristoteles ait, quodque prodiit, nec est mas, nec fœmina; quare licèt ex putri materia orta sexum habeant adeo debilis est, ut nequeat proli communicari.

Aristot. 2. de part. animal. c. 2.

Aristot. de gen. anim. lib 1. c. 1. & lib. 2. c. 2.

Addebatur in argumento naturam magis indulsisse imperfectis, quorum generatio fit uno tantum sexu, quàm perfectis, quæ duobus opus habent. Respondeo assumptum esse falsum: nam imperfecta, nullum habent sexum: jam enim superius diximus imperfecta non nisi similitudine quadam nomen sexus accipere. At nullum sexum habere, imperfectio quædam est in corporalibus: quippe sexus addit aliquam entitatem, tametsi accidentalem individuo. entitas autem, qua entitas perfectionem importat. Insurgit tamen aliquis, philosophi autoritate munitus, qui ea, quæ perfectiora sunt, paucioribus indigere motionibus, ait, quàm perfectiora, unde videtur inferri animalia perfecta non indigere ad generationem pluribus quàm imperfecta, sed potius paucioribus, ac proinde non esse tribuendas motiones duorum sexuum perfectis, unam verò duntaxat motionem imperfectis. Respondetur pronunciatũ istud plures pati exceptiones, ut constat ex Aristotelico contextu. Quare dicendum est cùm duo ad unum finem consequendum concurrant, qui finis respectu utriusque sit æqualis perfectionis, tunc verum quidem esse, ea quæ perfectiora sunt paucioribus egere motionibus. e.g: scientia tàm respectu hominis rudis, quàm ingeniosi eiusdem est perfectionis: quare ad eam consequendam ingeniosus & subinde perfectior paucioribus eget motionibus quàm imperfectior, nempe rudis. Et ratio id postulat, nam perfectior intellectus magis propinquus est scientiæ, quàm imperfectior, ergo perfectior qualibet exigua motione attinget finem; non autem imperfectior, qui longè à fine distat.

A. 2. de Cœlo c. 12.

Ad alterum argumentum, diversam esse rationem dicimus in excrementorum expulsione, & seminis ejaculatione: excrementa naturæ molesta sunt, & prorsus inutilia, quare natura satagit ea propulsare, & ideo fibras habet expulsioni dicatas, sicque post finitam coctionem ex-

cretioni

cretioni incumbit. At semen paulatim mittitur ad testes, ad eorum nutritionem, sicut aliud alimentum ad alitionem aliorum membrorum: quare ejus portione testes aluntur, quod superest asservatur, & quasi vasis, in quibus servatur connaturale non stimulat ad sui exitum, quòd si superfluat, tunc qualitate stimulat: sic in simili sanguis naturæ nostræ familiaris, si multus sit, naturam irritat ad hæmorrhagias. Sic lac in mammis collectus, superfluens exitum quærit, & sponte delabitur; aut retentus gravat. Semen igitur si moderatam excedat quantitatem, nocturnis pollutionibus spontaneum quærit exitum, sin minus gravat. Vnde Galenus commendat Diogenem Cynicum virum alioquin omniũ mortalium, quòd ad continentiam pertinet, constantissimum, qui Veneri indulsit non ob copulatam cum illa cupiditatem, sed ut damna; quæ ex retento semine eveniunt, evitaret. Potest autem dissuetudine coëundi, ut semen non gravet, ut contingit viris sanctimoniam vitæ profitentibus; & Galenus narrat contigisse cuidam, qui uxoris mortem lugens, & à concubitu, quo antea creberrimè fuerat usus, incidit in cibi inappetentiam, & coctionis debilitatem, ac tandem in affectum melancholicum, qui reditu ad pristinam consuetudinem, sanus evasit, & credibile est illum postea paulatim inducta dissuetudine, potuisse à Venere immunem vitam agere. Sed de his satis. *Gal de loc. aff. lib. 6. c. 5*

Ad tertium. Non rectè ova subventanea, & molæ adducuntur ad probandum posse fæminam sine virili sexu prolem gignere. Imo prorsus oppositum. Nam si fæmina sine viro potest gignere, gignat, at diceris gignit gallina ova subventanea, mulier molam ob materiæ ineptitudinem. Perficacia quidem est velle, ut fæmina ex materia inepta gignat inutile, ex apta autem nihil. Demus fæminam ab omni materia prava liberam, hæc ne gignet? profectò si ita esset, excusationem haberent viduæ, solùm recto victus ordine utentes absque viri commercio, dicerent se gravidas esse factas.

Præterea una eadem gallina habet simul intra se ova subventanea, & ova perfecta. Hoc non aliunde provenit, nisi quòd ova perfecta ex portione seminis masculini sunt facta, subventanea autem absque masculi concursu. Diceris tamen non ita esse, sed utraque sine masculo fuisse producta: nempe ova perfecta ex perfecta materia. Sed si hoc ita est, cur virtus formatrix non minus perfectè figuravit subventanea quàm alia? cùm tamen debuisset in materia perfecta perfectam imprimere figuram, ex inepta autem monstrum producere. Itaque subventanea ova accidere solent ex redundantia materiæ, quæ materia cùm non sit masculino, fæmininoque aspersa semine, efficit æquivocè ova talia, quæ sub-

ventanea, seu zephyria appellantur. Sic ex redundantia materiæ procreantur fructus præcoces, qui fructus veri appellari nequeunt, sic etiam prope plantas ingentes pullulant virgulta. De molis non est cur loquamur: sunt quippe morbi, & causam habent præter naturam, ut lapis in renibus, & vesica, atque alia adnata, quæ in corpore germinare solent.

Ad quartum fatemur sexum esse accidens, & forsan nil aliud præter modum quendam, utcumque tamen sit, esse intrinsecum & inseparabile, & profluens ab essentia rei non aliter, ac risibile in homine, ac proinde non posse à subjecto, quia subjectum sui corruptionem patiatur: abest tamen à corporibus animalium imperfectorum tanquam à subjecto minimè apto, de quo jam satis, superque dictum est.

3. Sectio.

Inquiritur causa efficiens.

DIscretio ista sexuum, de qua agimus, accidens esse diximus, aut modum quendam, quo forma substantialis afficitur, materialiter resultat ex membrorum genitalium differentia: quippe genitalia, sic, aut sic composita materia, quodammodo sunt huius, aut illius sexus. Formaliter verò ex dissociata societate: etenim quòd mas & fæmina sint duo dissociata, & tamen inter se unibilia est peculiaris ratio utriusque sexus. Hæc tamen metaphoricè dicta sunt: quid ergo de causa efficiente dicendum? profectò eum debet sexuum distinctio causæ modum habere, quē reliqua accidentia habent, quippe omnibus convenit non fieri per se, verùm ut inita subjectis. Et sic velut albedo non fit per se, verùm ut unita corpori colorato, sic sexus per se non fit, sed ut unitus substantiali individuo. Ego magis proprie comproduci quàm produci dixerim. Itaq; quærere, quæ sit causa productiva sexuum, est quærere, quæ producit individuum sexuum discrimine affectum: quemadmodum enim quærimus quid corpus visibile efficiat necessariò coloratum, sic etiam quærimus quid subjectum generans de necessario sexuum differentiis vestiat.

Quid sentiendum in Aristotelis doctrina.

QVærite istud problema ab Aristotele, nec vobis unam & eandem utriusque sexus causam reddet, sed masculinum dicet fieri à generante, quippe generans quod effectivam vim habet, apud eum est masculus, qui intendens gignere sibi simile, masculum efficit; fæmininum verò nullam causam habere, siquidem in eius doctrina fæmina est monstrum, sed monstrum fit præter intentionem agentis, nihil autem præter

inten-

intentionem agentis propriè fit, agens enim agit ex intentione finis quare monstra per resultantiam dicuntur fieri.

Verùm quod attinet ad masculinum, quæstionem expostulat, quam suo loco, ex professo ventilabimus: nam scilicet solus pater concurrat effectivè in generatione, an etiam mater. Nunc solùm dicimus Aristotelis sententiam fuisse, unum duntaxat esse semen nempe paternum, & hoc esse quod efficit & licet nos cum Galeno contrariam sententiam tuemur, nihilominus nunc supponere oportet Aristotelicam esse recipiendam & videre utrum juxta eam rectè sequatur masculinum semen esse masculini sexus causam. Videtur autem affirmativa pars vera, siquidem ex communi axiomate agens assimilat sibi passum, quod non solum debet intelligi in specie, & figura, sed etiam in sexu.

Vt tamen ingenuè loquar, mihi contraria opinio potior videtur: videlicet, non ex eo quod mas solus generet, rectè sequi prolem necessariò debere esse masculum. Nam quod agens assimilet sibi passum, à natura institutum est ut species conservetur & hoc spectat tam ad animata, quàm ad inanimata. Propterea assimilatio in specie prorsus necessaria est: neque enim, nisi monstrosè leo generabit equum, nec equus leonem: nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Assimilatio in figura duplex est, una quæ respicit speciem, & hæc necessaria est, unde humano capiti cervicem jungere equinam monstrum efficere est; alia quæ respicit individuum & hæc non est omnino necessaria: proinde aliqui fiunt patri similes, alii matri, alii vero neutri. Vnde Aristoteles quando ait quod non est simile parentibus, monstrum est, intelligit in specie, aut saltem in figura specifica. Cur ergo non est necessarium assimilari prolem parentibus? nempe quia isthæc assimilatio nec si adsit conservat speciem neque si desit eam destruit. Accedo ad similitudinem in sexu hæc non est necessaria ad conservationem speciei imo vero si solus mas (ut putavit Aristoteles) generat, similitudo agentis ad prolem destrueret speciem: quippe efficeret ut omnes essent mares ac proinde perfecta animalia varietate sexuum deperdita, non possent generari. Quare duobus nominibus evanescit causa efficiens masculini sexus ex Aristotele deprompta; tum quia supponit solum masculum habere vim effectricem; tum quia licet ei hoc admittatur non inde rectè colligit ex masculo non nisi masculum.

Nec magis feliciter versatur in inquirenda causa efficiente fæminini sexus, reducens eam ad non causam: quia, ut existimat, fæmina est monstrum, monstra autem ut sunt præter intentionem naturæ, sunt similiter extra omnem causam: nam non datur causa efficiens quin etiam de-

tur finali. Non desunt aliqui Aristotelis per fas, & per nefas defensores, qui tueri volunt, eum non existimasse fœminas esse monstra & ad hoc sibi persuadent quoniam ipse multoties fœminas quidpiam necessarium esse dixit, monstrum autem nullum necessarium est. Cæterum mihi Aristoteles videtur in hoc mediam quandam suscepisse viam. Nam ex una parte fœminam naturæ læsionem, marem læsum, discessum naturæ ex proprio genere, principium degenerandi & tandem monstrum appellat. Ex altera verò parte nunquam ei aliquod ex prædictis nominibus tribuit quin protinus adjungat particulam aliquam moderantem nempe, quasi, aut quodammodo, aut aliud simile. Vt quando dicit *fœmina quasi mas læsus est*; & alibi, *sexum fœmineum quasi læsionem naturalem, & detrimentum esse putandum est.* Alibi, *qui suis parentibus similis non est, monstrum quodammoda est*, & iterum *discessit enim in eo quodammodo natura ex proprio genere.* Rursus *initium primum degenerandi est fœminam generari non marem.*

Arist. 2. gen. an. c. 13. c. 6. 4. c. 3.

Facile ex his colligere possumus eum nunquam ausum fuisse liberè, & absolutè fœminam in monstrorum catalogo reponere; nunquam rursus sibi persuasisse fœminam à suspicione monstrositatis liberari, unde eam jure monstrum autogenum, hoc est sui generis possumus appellare, hoc est cum nullo monstro communem neque à monstri conditione exemptam. Causam cur ita senserit, existimo esse quia ex conditionibus quæ ad monstrum constituendum requiruntur, aliquæ fœminis adsunt, aliæ verò desunt. Inprimis, in ejus doctrina, uti jam diximus, fœmina est præter naturæ agentis intentionem, & ecce una & satis præcipua conditio monstrorum, sed ex adverso deest ei una celebris conditio quæ requiritur ut sit monstrum: nempe esse rarum, quippe fœminarum magnus est proventus, qualis ad propagandam sobolem est necessarius, & hinc sequitur deesse aliam conditionem, nempe ut sit inutile, mulier namque, vel ipsomet Aristotele fatente, est quidpiam necessarium. Cæterum cum fœminæ tot desint conditiones ut fiat monstrum, cùm illa conditio quam habet, nempe fieri præter intentionem naturæ, non sit justa, ut inferius patebit, possum fœmina eximere ex monstrorum consortio, & hanc maculam, quam fœmineo sexui inussit Aristoteles inurendo viceversa Aristoteli aliam maculam, videlicet erroris, possumus diluere.

Componere nititur hanc litem D. Thomas: quippe ait fœminam respectu naturæ universalis à natura intentam esse, ut humanæ speciei propagatio continuetur & sic dicitur ab Aristotele ejus generationem esse necessariam: oratione autem particularis agentis, non esse ex intentione naturæ; quippe agens particulare, scilicet masculus, qui solus agendi

agendi

agendi vim habet, intendit gignere sibi simile, nempe masculum, & secundum hanc rationem est monstrum. Verum tamen hæc D. Thomæ doctrina, tum quia cum Aristotele, masculo duntaxat agendi vim tribuit; tum quoniam inter naturam universalem, & particularem discordias serit, nunquam mihi placere potuit. Sed quod attinet ad vim agendi soli masculo tributam, non est hic locus examinandi hanc proportionem, quod verò attinet ad discordiam inter utramque naturam, nullo modo toleranda est.

Itaque naturam particularem semper naturæ universali obsequium præstare neque unquam unam ab altera dissentire multipliciter probari potest. Inprimis doctrina innata est naturæ universali: quippe ab ea particularis dirigitur, docetur, universalis autem est, quæ ab Hippocrate indocta appellatur utpote quæ sine doctore est & à nemine docta inferiorem naturam docet sic pullus equi mox natus calcitrans; canis edentulus adhuc mordere tentans, avis adhuc implumis volare tentans, hæc omnia officia unumquodque individuum particularis naturæ beneficio peragit, sed edocta ab universali quæ specierum actiones novit. Accedamus ergo ad rem nostram duo semina masculum, & fæmineum in utero conjunguntur in unum ut fiat quoddam mistum quod possit generationis opus complere. Quisnam efficit hanc conjunctionem? nempe natura communis: quippe hæc actio respicit universi regimen, alioquin si conjunctio utriusque seminis cum sanguine menstruo non fieret in pondere & mensura, prout convenit propagationi sobolis, natura particularis ad quam pertinet duntaxat cum suo individuo operari, non posset ita mensuram missibilium seminum distribuere, ut tot efficerentur mares, tot fæminæ secundùm propagationis necessitatem.

Itaque natura communis est quæ facit ut semina diversam mistionem sortiantur, & in hoc prævaleat sexus masculinus, in illo fæmininus: natura verò particularis agit secundùm dispositionem quam reperit in materia, si præpolleat masculinus sexus generabit masculum, si fæmineus fæminam. Quare neque respectu naturæ communis neque particularis erit unquam fæmina monstrum. Non naturæ communis, quoniam hæc non habet à quo impediatur quominus rectam miscibilium mensuram, prout oportet, distribuat, non naturæ particularis, quippe hæc si in semine sexum fæmineum præpollentem inveniat, nulla distrahi potest à generatione fæminæ, quod si distrahitur, erit quidem monstrum, sed non erit fæmina & sic fæmina nunquam erit monstrum.

Nec tamen aliquis existimet me velle in semine virili ponere virtutem determinatam ad producendum sexum virilem in semine fæmineo ad-

ad sexum fæmineum. Sed quemadmodum in composito ex quatuor elementis, unum prævalet, nec tamen prævalenti soli, ac per se tribuuntur operationes sic in semine uno misto ex duobus adest uterque sexus permistus, quorum alteruter prævalet, tamen effectus licet sit similis prævalenti, non tribuitur ei soli, sed prout est simul cum alio.

Dixit alterutrum prævalere, sed cur uterque pares non habet vires: quia scilicet difficile est pugnantibus inter se extremis obtinere naturam ut in statu exquisitè medio consistat. Sic novem sunt temperamenta octo, ut sic dicam, intemperata, medium temperatissimum & exquisitum, cum tamen natura medium semper appetat tamen extrema hinc inde distrahentia efficiunt ut non nisi rarissimè in medio possit subjectum consistere, quod si accidat, momentaneum est, & sunt complures autores qui temperamentum medium ad pondus non posse dari autument. Porrò in mistione seminum vix unquam dabitur medium adeo justum, ut ad nullam partem deflectat, si tamen aliquando detur fœtus erit hermaphroditus, qui propterea rarissimus esse solet.

Altera probatio ad confirmandam conformitatem utriusque naturæ tam communis quam particularis inter se, est hujusmodi. Si fæmina est præter intentionem naturæ particularis, erit contingenter talis, nam quod non est ex instituto contingenter dicitur esse. Erit ergo fæmina contingens qnidpiam sed contingens opponitur necessario, jam ergo fæmina non erit quidpiam necessarium, cujus tamen contrarium pluries affirmavit Aristoteles. Cæterum sit ita fæmina contingenter fiat, subibit ergo leges contingentium, contingentia ita sunt, ut possint non esse, possibili autem posito in actu nullum sequitur absurdum; si possibile est fæminam non esse, non sit remanebit solus masculus, sed solus masculus non potest generare, peribit ergo generatio. Nihil hic potest responderi, nisi in eo casu naturam communem auxilium allaturam, impediendo ne omnino fæmina desinat esse. At hoc est quod intendo probare: nempe actionem naturæ particularis, sive necessaria, sive contingens sit, à natura universali gubernari ac proinde nullam inter utrumque posse nasci dissonantiam.

Tertia ratio. Natura universalis versatur circa conservationem specierum infimarum easque sustinet, & tuetur, sed species hæ infimæ consistunt in forma substantiali, cujus generatio ad naturam particularem pertinet, jam ergo utraque natura intendit idem, non potestque una ab altera intentionem habere diversam. Sed dicet adhuc aliquis convenire quidem inter se has duas naturas ratione objecti, cæterum de muliebri, aut masculo sexu nihil est solicita universalis, satis enim sibi est

quod

quòd species conservetur sive sub hoc sive sub illo sexu. At si curam habet, inquiam ego, conservationis specierum, cura simul necessario ei inesse debet omnium quæ ad hanc conservationem requiruntur: Requiritur ad conservationem generatio, ad generationem distinctio sexuum, quis ergo dubitabit sexuum discrimen ad hanc universalem naturam spectare. Spectat, respondebit adhuc, nempe ad discrimen sexuum indiscriminatim: cæterum quòd singulariter hoc individuum sit masculum, illud verò fæmineum, naturæ particularis est munus. Est quidem munus, respondebo, naturæ particularis, sed quatenus ab universali gubernatur, ut satis superque manet demonstratur. Nihil itaque in hac causæ efficientis inquisitione nos docet Aristoteles, quod recipi dignum videatur.

Quid in doctrina Galeni tenendum sit.

VOcemus igitur, & invocemus in hoc procelloso mari Galenum, qui nobis aliquam afferat serenitatem. Postulamus ergo ab eo ut hanc distinctionis sexuum efficientem causam nos doceat. Ille ad excessum, defectumue caloris primariò eam refert: cùm enim sexuum diversitas in genitalium diversitate consistat, genitalia autem maris, & fæminæ nullam inter se habeant diversitatem præter illam quam calor præstitit, meritò recurrere posse putas ad calorem membra isthæc vel foras projicientem præ excessu vel præ defectu recludentem interius. *Omnes igitur*, inquit ille, *quæ viris insunt, partes in mulieribus etiam reperias, nisi in eo duntaxat discrepent (quod in hoc toto sermone tenere memoria oportet) quod in mulieribus quidem partes hæ intus sunt recondita, in viris autem sunt extra ad nuncupatum perinæum: veras enim harum priores mente voles concipere, mulierum quidem extra invertendo- virorum autem velut intròvertendo, atque replicando, omnes sibi inter se similes invenias.* Sic ille. si verò quomodo, & à quo isthæc situum diversitas contingat, velimus inquirere id ab eo paulò inferius addiscemus, qui in hunc modum rem exponit, agens de fæminarum genitalibus: *partes enim ipsius formata intus fuerunt, dum ipsa utero adhuc gestaretur: cum autem extare, & foras emicare præ caloris imbecillitate non possent, ipsum quidem animal, quod conformabatur, imperfectius eo, quod undique est absolutum, reddiderunt: toti verò generi utilitatem non aspernendam præstiterunt, oportebat enim quandam esse faminam.* Gal. 14. de usup. c. 6.

Siquis autem est cui hæc Galeni doctrina placeat, necessariò prius viros anatomicos debet consulere, si forsan huic genitalium membrorũ inter virum, & mulierem similitudini assensum præstant. Puto eos in-

venta-

ventarum unanimiter adversantes, mirorque Galenum alioquin anatomiæ adeo addictum, ut sine ea neminem medicum appellandum esse censuerit, cur in hac genitalium ita cæcutierit ut videatur ab autopsia omnino in hac parte alienus. Ex virilibus membris inversis, putat ille fæminea fieri posse, & rursus ex inversis fæmineis virilia evadere. Retrahit ille imaginatione duntaxat virilia membra, ut sic fæminea evadant, quod quam feliciter sibi successerit unusquisque judicet. Cæterũ muliebrium genitalium descriptio prostat apud anatomicos, præcipuè apud Andream Laurentium: ex qua facilè colligitur, ingens differentia, quæ inter hæc & virilia existit: eandem descriptionem scripst eleganter Bonacciolus in sua enneide muliebri.

Sed quando omnia in Galeno tolerari possint, illud intolerabile est, quòd non minus quàm Aristoteles fæminam monstrum facit: quandoquidem vult intentionem naturæ esse ut genitalia foras promineant, quod cùm natura præ debilitate caloris non possit assequi, relinquitur animal imperfectum, licet utile generationi, ut dici possit rectum ex errore ac proinde casu accidisset fæminam fieri conveniretque Horatianum illud dicere

——————*Amphora cæpit*
Institui, currente nota, cur urceus exit?

Sed dicat mihi Galenus si in muliere non potuerunt genitalia foras prominere, cur nasis, oculus & aures in ea prominent? Et è contrario cur in viris vesica & intestina & alia intus reclusa manent? Deinde cur si fæmina biliosa est calidior viro pituitoso, non contingit biliosam fæminam habere genitalia prominentia: pituitosum virum eadem retracta? Nec mihi dicatis mulierem posse esse calidiorem quoad reliquas partes, semper verò quoad genitales frigidiorem: ne, inquam, ita respondeatis: nam dabo vobis mulieres salacissimas, viros autem ad coitum impotentes, isthæc autem salacitas, isthæc impotentia intemperiem non aliarum, nisi genitalium partium indicat. Vallesius ait mulieres posse esse circa illas partes calidiores ob victum calefacientem, & exercitium plusquam pro ratione sexus. At ego interrogo cur non etiam possunt esse fæminæ à primo exortu secundum illa membra calidiores. Tenebatur etiam ille nobis ostendere, quare caliditas in primo exortu fecit membra prominentia, caliditas verò postea acquisita minime? Hæc sunt quæ impossibilem reddunt causam efficientem discriminis sexuum, quam à Galeno potuimus elicere.

Reso-

Resolutio quæstionis.

FAcultas formatrix, quæ præ omnibus facultatibus naturæ universali obsequens est, similitudinem in primis natorum cum progenitore in specie molitur, sed hoc totum debetur semini in quo potestate continetur id cuius est semen. v. g. in semine hominis continetur homo in potentia. Deinde efficit similitudinem natorum cum parentibus in figura: est autem figura duplex, una specifica, & hanc tuetur quantum potest: utique si ab illa desciscat proles monstrum erit, nempe si humano capiti cervix equina apponatur. Altera figura est individualis, quæ prolem individuo generanti similem efficit, quandoque nempe patri, quandoque matri, quandoque etiam duo. & nunc in tota effigie, nunc una vel altera parte; circa hanc natura particularis hoc est facultas formatrix quasi ludibrio versatur, utpote in re minimè necessaria unde contingit aliquando prolem nulli suorum similem esse, nec propterea monstrum reputantur: nam quod Aristoteles ait, quod parentibus non est simile, monstrum est, intelligitur de similitudine vel in specie, vel in figura specifica.

Tertio loco eadem formatrix, prout à causa universali docetur, membra genitalia, præcipuè testes, vel viro vel fæminæ idonea fingit. Dico præcipuè testes quia horum præsentia virilitas acquiritur, abscissis corpus redditur muliebre. Et quod Galenus ait non opus esse ut prius exuamus, quo differentiam membrorum speculemur, sed indutos, & opertos satis cognoscimus, verissimum quidem est: quippe in muliere suæ corporis motiones sunt à motionibus virorum diversæ, & toto corpore conspicimus an mas, an fæmina quodpiam sit: neque enim in homine, sed in reliquis etiam animalibus hoc apparet, cæterum hæc diversitas corporis à testium diversitate provenit, cuius rei argumento esse potest castratio quæ masculis muliebrem infert corporis, mollitiem, artuumq; flexionem. Itaque formatrix ex naturæ universi dispositione, quæ etiā corporum cœlestium interventu operatur, unde sub quodam aspectu generantur magis fæminæ sub alio mares, formatrix, inquam, fingit genitalia membra iuxta impressionem in semine factam, & sic variat generationem maris & fæminæ. Dummodo tamen intelligatis præcipuam dispositionem esse ab ipso generante: quippe uterque generans confert semen, fitque ex utroque simul cum sanguine menstruo unum compositum, in quo prævalere potest hujus aut illius sexus rudimentum quoddam, quod formatricem ad productionem talis sexus facilem reddit. Accedit regio & anni tempus, sic septentrionales mu-

Gal 2. de sem c. 5.

les mulieres frequentius fæminas pariunt, & hyeme magis quàm æstate, sed hoc pertinet ad fæmineum temperamentum, de quo jam agere aggredimur.



4. Lectio.

DISPVTATIO SECVNDA,

De muliebri temperamento.



Æminarum temperamentum, prout fæminarum est, sive earum operationibus vitalibus inserviat, sive probis generationi, semper comparatione ad masculum est inquirendum: quippe fæmina ad masculum, respectum dicit saltem transcendentalem. Propterea dum muliebre temperamentum inquirimus, ad virum convertimur, & quid respectu habito ad illum respondendum sit, perscrutamur. Supponentes insuper cùm de mulieris frigiditate loquimur non accipi frigiditatem simpliciter, velut eam habent animalia ex sanguia, sed intra terminos humani temperamenti, quod omnia optimum censetur: cùm autem habeat suam latitudinem, in hac potest unum individuum differre ab alio. Differunt quidem in eodem sexu, ut mulier biliosa à muliere pituitosa, sed multo magis in diversis, ut mulier à viro: quamvis ergo mas, & fæmina in eadem sunt specie, ut inquit Aristoteles, nihilominus individuale temperamentum duplex; alterumque quod unicuique individuo, ratione suæ propriæ individualisq; naturæ debetur: alterum quod ratione sexus: de hoc ultimo nobis est sermo.

A. 1. gener. animal. c. 20.

Argumenta, quæ persuadere videntur mulierem viro calidiorem.

DEmocritus, & Parmenides, atque etiam author operis de morbis mulierum, qui Polybus fuisse perhibetur, mulieres viris calidiores esse dixerunt, neque vero legislatorum more, sed adhibita ratione fuerunt loquuti. Nam priores duo, caliditatis mulierum emissionem menstruorum argumento esse posse, sic referente Aristotele, existimarunt. Tertius Polybus exemplo lanæ, quæ ob raritatemque suam in se mul-

A. 4 gen. animal. c. 1.

tam

tam suscipit humiditatem probare contendit fæminas quarum carnes raras esse putat, multum sanguinem in se ipsis imbibere, sanguinemque mulierum quàm virorum calidiorem esse pronunciat.

Potest hæc eadem sententia aliis persuaderi rationibus: cum enim testes non ita sint inutiles ut existimavit Aristoteles, quippe eos adjectos pendere dixit, eo modo quo pondera textrices telis annectunt, ut scilicet meatus apertos servent: testibus namque detractis meatus intro se retrahere illius opinio est, sed longè præstantiorem habent usum, quem iis tribuit Galenus: videlicet vim quandam ab illis in totum corpus dispergi, quæ quidem in maribus robusti, & masculi habitus, in fæminis ipsius fæmineæ naturæ in causa est, quare inter membra præcipua recensentur velut cor, & cerebrum. Hi quia fæminis intus sunt retracti, commodius possunt corpori caliditatem communicare. *A.1.gen. animal.c.4.* *G.1.de semin.c.16.*

Deinde cum argumentum calori tribuatur: neque enim aliud quicquam, ut Galenus ait, animal ab initio efformavit, sicut neque rursus adauxit, aut usque ad mortẽ enutrivit, præter quam calor innatus; cum rursus fæminæ celerius augeantur, rectè infertur fæminas esse calidiores. Celerius augeri fæminas dixit Galenus explicans illa Hippocratis verba: *Concretum est; constitutum est; citius motum est; coinquinatum est, & tardius augetur, & per longum tempus.* In commentario Galenus fæminas ait citius adolescere & prius desinere augmentari. *6.epid. sect. 2, tex.45.*

Præterea confirmatur idem manifesto brutorum exemplo: etenim in genere avium rapacium fæminæ velociores sunt maribus, velocitas autem calori debetur, sicut segnities frigori; in genere quadrupedum leæna leone, & ursa urso ferociores sunt, in specie equina equæ equos cursu antecellunt. Hæc omnia calidiores esse fæminas quàm masculos attestantur; neque ulla assignari potest ratio cur humanæ speciei idẽ non accidat.

Contrariam sententiam veram esse demonstratur.

NOn tanti sunt prædicta argumenta, ut possint veritatem evertere: verissimum itaque est fæminas viris esse frigidiores, eo tamen frigiditatis gradu, qui generationem non impediat, sed potius vivet: ut enim generandi opus rectè perficiatur, necesse est ut masculini seminis caliditas ab altero fæmineo attemperetur, attemperatio autem mediocritate fit: nam si fæmineum esset valde frigidum spirituosa pars seminis, in qua genitalis vis residet, præ frigore extingueretur, unde mulieres lapsæ per frigiditatem nisi viro excellentem calorem habenti jungantur non con-

cipient; ex altera parte viragines tametsi intra limites fœminei sexus temperamentum possideant, quia tamen illud est valde calidum ineptum ad attemperandum virilem calorem censentur, neque prolem gignunt nisi cum viro admodum debili jungantur. Hæc disparitas utriusque seminis postulat ut vir, quippe magis activus, calidior debeat esse, mulier magis actionis susceptiva, frigidior, hoc est, minus calida.

H lib. 1. de diæta. Porro fœminam frigidiorem esse doctrina est Hippocratico fonte derivata, quippe in opere de diæta fœmellas, ait, ab aqua magis, & à frigidis, ac mollibus, & humidis tum cibis, tum potibus augeri, itemque studiis, & exercitiis: masculos vero magis ab igne, à siccis videlicet, ac calidis cibis, & reliqua diæta. Si igitur fœmellam procreare velit, diæta ad aquam vergente utendum est: si verò ad masculum, exercitiis, & victu ad ignem tendere utetur. Et paulo inferius suam mentem manifestius aperiens, inquit ex omnibus masculos calidiores esse, & ficciores, fœminas verò humidiores, ac frigidiores: propterea quòd ab initio utrique in talibus geniti sunt, & à talibus augescunt. *Exercit. 224.* Hinc apparet error Scaligeri existimantis parem esse mulieris & viri calorem, in muliere autem propter adjunctam humiditatem minus apparet, quod si ita esset non forent principia generationis fœminarum frigidiora quàm virorum.

Gal. 2. de temp. c. ult. 3. de sem. c. 4. c. 5. 14. de usu part. c. 6. & 5 aph. 41. & 69. & 3. caus. pul c. 2. Hippocratem sequitur Galenus, apud quem nihil frequentius est quàm repetere fœminas viris esse frigidiores. quod in libris de usu partiũ, pulchra quadam, meo judicio, demonstratione confirmat in hunc modum. Fœtus ipse materiam postulat copiosam non modo ad primam sui constitutionem, sed ad omne etiam deinceps incrementum. Proinde duorum alterum accidat ipsi est necesse, aut ipsius utero gerentis alimentum rapiat, aut superfluum accipiat: verùm rapere quidem non erat melius: superfluum verò assumere non poterat, si fœmina exquisitè calida: discuteret enim ipsum sic, & facilè exsicaret. Frigidiorem igitur eam eo usque fieri satius fuit, quoad alimentum, quod coxisset, ac confecisset, totum discutere non posset: quod enim est frigidius, ne concoquere quidem potest, quod verò planè est calidum ut concoquere, ita discutere validè potest: quod igitur non ita multum ab exquisitè calido relinquitur, & coquere satis, ut quod non amplius est frigidum, & relinquere aliquid superfluum potest, ceu quod non vehementer adeo sit calidum. Hæc igitur est frigiditatis fœminæ utilitas.

Ant. Pont. Hæc ratiocinatio ferè contemptim recipitur ab Antonio Ponce utpote quæ à fine sumpta est, alteram tamen ipse ex sua penu depromptam affert, nunquid non etiam à fine? imo maxime: adeo potens est ad obcœcandos hominum animos philautia: ejus autem ratio sic habet. Fœmina

mina est animal, quod generat in se. Per hæc autem verba significantur duo: & quod sit appetitiva activi perficientis, & quod sit receptiva illius. Ad quæ oportuit ut esset inferioris caloris ut novum reciperet, & illum appeteret. Hanc rationem suus autor sumptam esse putat à proximiore rei natura, forsan quia hæc sumitur à fæmina concumbente, illa à fœtu materiam postulante. Cæterum quoniam cum Galeno videtur velle contendere, uter melius demonstraverit, aliorum judicium esto.

Accedo ad Aristotelem, qui in eadem cum Hippocrate sententia est, & cum pluries fæminas maribus frigidiores esse repetat, plura affert fundamenta: nonnunquam enim in coctione fundatur & hanc fæminas comparatione ad mares debiliorem habere censens, adjungit: *si omnis coctio à calore efficitur, mares quàm fæminas esse calidiores necesse est.* Interdum fundamentum suscipit à mole corporis, quæ fæminis quàm viris minor esse solet. Aliquando à salacitate quæ æstivo tempore fæminas magis, quàm viros stimulat: quippe viri calidi & sicci æstivo tempore collabuntur: Aliquando à longævitate: siquidem in universum ait mares fæminis longioris vitæ esse, causamque reddit quia calidius animal mas est, quam fæmina. Denique si ad radicem attendamus, unde orta fuit opinio quòd fæmina sit monstrum, inveniemus esse materiæ, ex qua fit fæmina, frigiditatem: præ frigiditate enim impeditur natura ne suum finem consequatur. Cæterum relictis autorum dictis plura sunt capita ex quibus fæminarum frigiditas erui potest; quorum aliqua percurrere erit operæ pretium.

Arist. 4. gen. an. c. 1.
Arist. sect. 10. prob. 38.
Arist. sect. 4. prob. 26. 29. & 5. hist. c. 8.
Arist. de long. & bre. vit. l. 3.

Frigiditas fæminarum colligitur ex debilitate fæminei sexus.

SExum fæmineum & frigidiorem esse, & debiliorem tam Hippocratis, Gal. Aristotelisque consensu, quàm evidente experimento constat, imò eo ipso quòd frigidiorem dicimus, debiliorem asserimus: quod enim potest esse virium robur, ubi sanguis, qui est fons caloris, deficit. Hoc tamen non caret dubitatione; ratio dubitandi est, quia robur in astrictione consistit: quæ enim immoderatè laxant, inquit Galenus, solvunt robur; ea verò quæ astringunt, teste eodem, firmitatem, roburque præstant. At astrictio frigori debetur. Hinc est, quòd flante aquilone vento frigidissimo robur acquiritur, deperditur flante austro vento scili-

1. ad Glauc. c. 14.
2. Local. c. 2.

Gal. 2. san. tuend. c. 3.
Virgil. 9. Æneid.

ſcilicet calido frigidum etiam corpus noſtrum roborare dixit idem, quod confirmat barbarorum conſuetudo de qua Virgilius:

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & undis.

Non deſunt documenta alia ex quibus elicitur frigidi eſſe indurare, & condenſare; calidi relaxare rarefacere: quod cum ita ſit, cur in fæmineo ſexu cum frigiditate debilitatem ſemper conjungimus?

Verùm cùm aſtrictio, in qua robur conſiſtit, ſiccitati propriè debeatur, frigiditas quidem quæ ſiccitatem habet adjunctam, aſtringendi ac ſubinde roborandi vim habet: quæ verò ut in mulieribus, cum humiditate conjuncta eſt, mollitiem ac præ mollitie imbecillitatem inducit. Deinde in viventibus vitium robur ad operationes ſpectatur, operationes autem calori debentur. Frigus nulli actioni ex uſu eſt ut Galenus teſtatur. Poſſumus ergo de primo ad ultimum (ut loquuntur Logici) argumentum conficere: nam eſſe rei eſt ejus perfectio, non verò qualecumque eſſe, nam in actu primo adhuc aliqua eſt imperfectio, quippe adhuc aliquid eſt in potentia: perfectio autem dicit robur, contradictio enim quædam eſſet, ſi quidpiam perfectum, & ſimul debile diceremus. Sit itaque argumentatio, perfectio & ſubinde robur conſiſtit in actu ſecundo: eſſe autem in actu ſecundo ſecum habet operari, operatio eſt à calore, ergo à calore eſt perfectio ac ſubinde robur. Hinc eſt quod Galenus medicos & philoſophos teſtes appellet, qui calorem ajunt eſſe ipſam virtutum ſubſtantiam, etſi non hoc ſaltem primum, at maximè neceſſarium earum inſtrumentum, & merito nam eodem autore alibi calor habet præ cæteris qualitatibus vim in agendo maximam.

3. de cauſ. pulſ. c. 3.

Gal. de conſt. art. c. 9.

Objiciet tamen aliquis, ſi frigiditas nocet robori, quia humiditatem habet adjunctam, quippe mollities eſt quæ imbecillitatem præſtat, molle autem eſt quod humidum; eodem jure calor ſi ſociam habeat humiditatem, mollitiei, debilitatisque erit cauſa. At calor, quem dicimus omnibus præeſſe actionibus, calor naturalis eſt, calor autem naturalis à Galeno paſſim humidus appellatur, imò copioſam habere humiditatem ab eodem dicitur. Habet quidem copioſam humiditatem, non tamen ſuperfluam, ſed quam ipſe calor gubernat, apponit, agglutinat, ac proinde condenſat, unde non patitur Galenus calorem hunc innatum flammæ comparari: quippe calor cum ſuperflua ſiccitate comburit, colliquat: cum mediocri ad omnia eſt utilis ut ait Galenus. Porrò calor initio generationis noſtræ nobis ab elemento ignis inditus eſt ad duritiem & robur inducendum, quod eleganter docet Galenus non ſemel. Neceſſe namque eſt ut animalium principium molle ſit, ut bene

Gal. 3. de cauſ. prob. c. 3.
de marc.
3. cauſ. prob. c. 3.
1. Sanit. tuend. c. 2. & de marc. c. 4.

concinnari, confirmarique & ad omnia fabricanti sequax, ac præstò esse possit. Cæterum tanta mollities operationibus est inepta: quare oportuit aliquod siccum ei admisceri, siccum autem duplex est, alterum terra, alterum ignis: terram admiscere in magna quantitate oporteret, atque ita non relinqueretur humidum, quo adhuc opus erat. Admistus igitur fuit ignis, qui duas utilitates præstaret: nempe & agilitatem induceret, qua actiones perficiuntur, & duritiem qua corroborantur. Colligere igitur vela libet, & ratum habere fæminam debiliorem esse masculo propter inopiam caloris quæ actiones efficit debiliores, cum ergo nihil magis pateat quã actionũ debilitas, & ex debilitate actionũ debilitas facultatum cognoscatur, facultatum autem debilitas fiat à frigiditate, rectè ex effectu, seu, ut dici solet à posteriore ex debilitate fœminei sexus colligimus ejusdem frigiditatem. Porrò debilitatis signũ non prorsus contemnendum accipimus à philosopho qui fæminam carere ait iis partibus quæ tamquam arma à natura data sunt animalibus. Fæmina, inquit ille, quam mas innervior est, atque infirmior, & partes, quæ tamquam arma à natura animalibus sunt dàta, non fæminis, sed maribus data sunt: velut generis cervini fæmina cornuum inops, mutilaque est, & avium nonnullarum, quibus data calcaria sunt, fæminæ omnino iis carent: pari modo sues fæminæ dentibus carent exertis. At nonnullis in generibus sunt quidem hæc etiam fæminis, sed maribus potiora, ut cornua tauris robustiora quàm vaccis. *Arist. 4. hist. animal. cap. 11.*

Demum fæmineæ debilitatis indicium sunt Eunuchi qui exsectis testibus muliebrem acquirunt naturam, & manifestè enervantur, tanto autem magis quàm fæminæ, quanti fæminæ suos habent testes licet exiguos eunuchi autem nullos. Crediderim Hippocratem, qui & mulieres, & eunuchos podagræ immunes esse dixit, dicturum etiam, si recordaretur, eunuchos ut fæminas ambidexteros non fieri, (quippe viri ob nervorum, musculorumque vim ambabus utuntur manibus, fæminæ autem non sic ob debilitatem) sic eunuchos quibus, par, aut etiam major est debilitas ambabus etiam manibus uti non posse.

Pro coronide accipite fæminas spectata rei natura communiter loquendo maribus debilores esse hoc tamen non tollere, quo minus aliquas fæminarum vel cælesti virtute adjutas, vel ob quamlibet aliam arcanam facultatem viros posse superare. Hoc tamen quod ut possibile admittimus, ut insuetum non trahimus in consequentiam. Imo potius etsi non admittimus Aristoteli fæminam esse monstrum, admittet ille nobis fæminam quæ virum superet pro monstro habere, concurrunt

namque

namque conditiones quæ monstrum faciunt: quippe hoc rarum est, & quia rarum mirabile: una fuit Semiramis in cujus columna, teste Herodoto legebatur. *Natura me fæminam fecit, ego rebus gestis nulli præstantium virorum inferior extiti, huic autem parem non adhuc tot secula protulerunt.* Monstrum est præter naturæ ordinem, ac præter naturam est fæmina quæ viro supereminet: siquidem ut naturæ ordo postulat, ex D. Pauli sententia, *caput mulieris vir est.*

Ex loco in quo fæminæ procreantur, earum frigiditas colligitur:

Hip. 5. aph. 48. Foetus mares quidem, inquit Hippocrates, in dextris: Fæminæ vero in sinistrum magis: hujus rei rationem Galenus tradit quia dextra uteri pars calidior est, propter vicinitatem, rectitudinemque cum hepate, quod in dextro hypochondrio situm est. *3. de partib. anim. c. 4.* Aristoteles autem propter dextrum cordis ventriculum qui plurimum sanguinis calidissimi in se continet, quam ob rem pars dextra calidior est, quàm sinistra. Quapropter Aristoteles, & Galenus conveniunt in eo quod uteri pars dextra sit calidior, calore scilicet aliunde mutuato; differunt tamen quia Aristoteles à corde, Galenus à jecore calorem communicari inquiunt. Nec mirum est quod ita differant: nam Aristoteles (ut sæpe apud eum videre est) officinam sanguinis in corde constituit, quam Galenus in jecore. Quod autem dextera uti pars sit in qua mas continetur, sinistra in qua fæmina, considerate magnam esse correspondentiam mammarum cum utero *Hipp. 5. aph. 38.* Hippocratemque dixisse mulieri utero gerenti si altera mamma gracilis fuit geminos habenti alterum abortit, siquidem mamma dextera gracilis fiat, marem, si verò sinistra, fæminam.

Sed jam aggrediamur colligere caliditatem masculorum, frigiditatemque fæminarum ex loco in quo fœtus procreatur. Locus (ut, præter cæteros, tenent Complutenses excalceati) aliquam habet qualitatem conservativam locati: pisces in aqua melius conservantur, & omnia quæ moventur locum sibi præscriptum conservationis ergo, quærunt. Qualitas ergo in utero conservativa fœtus, ne confugere cogamur ad occultas manifesta est caliditas, cum ergo conservatio fiat per similia manifestum est id quod caliditate intensiore pollet in calidiore uteri parte commodius conservari. *3. de part. anim. c. 4.* Præterea quoniam poterit aliquis negare uteri partem dextra calidiorem esse: quippe influxus cordis, & jecoris non convincit: nam quod attinet ad cor ex Aristotelis sententia homini

pau-

paulo vergit ad lævam, ut ejus partis refrigerationem moderetur, quod autem ad jecur spectat calorem communicat cum sanguine per venarum tubos, venæ autem tam in dextram quam in sinistram uteri partem hiant. Quoniam, inquam alicui displicebit isthæc caloris communicatio sciat oportet dextram partem suapte natura calidiorem esse. Est calidior dextera pars, ut à posteriore constare potest, quoniam robustior: jam enim superius dictum est robur in viventibus procedere à calore. Robustiorem esse dextram quàm sinistram, repetit Philosophus passim, idque probari potest ex eo quod (ipso etiam teste) initium motionis est à dextris, motio autem arbitraria semper à fortiore incipit parte. Vnde ipsemet Philosophus quod motus ex parte dextra proveniat infert proinde naturam dextræ validiorem esse. *Arist. 1. hist. c. 15. & 4. de part. c. 8. 2 hist. c. 1. de Animal. incessu c. 4.*

Itaque dexteram partem calidiorem esse satis constat, in eaque debere gigni id quod calidius ex rationibus superius adductis patet; quòd verò ex caliditate loci caliditas masculi fœtus eveniat, Hippocrates nos docet, qui de fœtu hoc agens adjungit. Idcirco solidus factus est, & biliosior, & magis sanguineus, quia iste calidior est locus animalis. An verò perpetuum sit mares in dextra parte gigni ambiguum est: nam Galenus in hæc Hippocratis verba veritatem inquit, per dissectiones explorari, *maribus plerumque in dextra uteri parte conceptis.* Vbi advertere oportet adverbium *plerumque* quod infallibilitatem eventus aufert: cæterum Galenus hunc loquendi modum accepit ab Hippocrate, qui in aphorismo initio citato, inquit, *Mares in dextris, fœmina in sinistris magis.* Consonat ergo illud *plerumque* cum isto magis utrumque autem perpetuitatem tollit Aristoteles eadem via incedens adversum Empedoclem sæpe numero evenire ait, ut eadem in parte uteri gemini mas & fæmina generentur. Musa uxorem suam narrat, semper mares in sinistra matrice gestasse, in dextra fæminas quod cognoscebat tum ex motu qui incipiebat à dextra, tum ex globo, & aliquando geminos peperit quorum primus fuit puella quæ cum exivit, latus dextrum inanitum videbatur. Hinc sibi persuadet Carrerus rationem istam sumptam à loco generationis non esse dignam quæ recipiatur. Nam id quod perpetuum est: nempe virum esse calidiorem muliere, non debet habere causam quæ perpetua non est. Fatemur quidem fæminam nonnunquam in dextra, marem, in sinistra uteri parte gigni, quod Galenus non siluit, verumtamen ab ipsomet Galeno accipimus non esse perpetuum fæminas esse viris debiliores, ut videre est apud eum: cæterum tam fæmina viro calidior, quam etiam fæmina in dextra uteri parte genita, utrumque rarum est: dogmata autem medica non sunt perpetuæ infallibilisque veritatis, sed cum moderatione sunt *H. 6. epid. sect. 2. tex. 46. Ar. 4. de gen. animal. c. 1. Musa 5. aph. 48. Gal. 2. de semin c. 5. & 6. loc. aff. c. 5. G. 5. aph. 3.*

ne ſunt accipienda nempe ut ſatis ſit ſi eveniant ut plurimum, etenim quid ſpectata rei natura tenendum ſit, inquirimus, nec nos peculiares eventus deterrent, ut dogmatum veritatem nutare ſuſpicemur. Porrò ex eo quòd non ſit perpetuum marem gigni in dextra parte fæminam in ſiniſtra, colligetis in utero non eſſe vim activam fœtus, ut male exiſtimavit Fabius Paccius, ea ductus ratione quòd Hippocrates in aphoriſmo non fecit mentionem ſeminis, ſed in uteri qualibet parte eſſet vis activa, utique effectus ſemper huic reſponderet, eſt itaque ſolum major aut minor caliditas nempe maior in dextris, cumque caliditas ſit inter qualitates nobiliſſima ex materia ubi illa prævalet gignitur id quod nobilius eſt, nempe fœtus maſculus nobilior quàm fæmina & hoc ita ſentit Ariſtoteles, qui ait nobiliores eſſe mares in utero quàm fæminas. Probatur etiam quia tam viri quàm mulieres ad procreandam prolem marem aut fæminam indigent certe inter ſe proportione, unde Ariſtoteles *plerumque enim tum mulieres, tum viri, quamdiu cum eisdem junguntur, fæminam tantum, maremve procreant, ſejuncti autem contra.*

3. met. c. 3.

Ariſt. 4. gen animal. c. 6.
3. part. animal. c. 3.
7. hiſt. animal. c. 6.

Ex materia colligitur num mas ſit an fæmina.

5. Lectio.

HYpotheſis eſto dari duplex ſemen, hoc eſt maris & fæminæ; neque enim oportet quoties ſe offert occaſio hanc litem inter Ariſtotelem & Galenum renovare, ſentiant peripateci quidquid velint, nos ingenuè ſpeculantes Galeno inhæremus à quo ſat bene probatum eſt fæminas in opere generationis ſuum etiam conferre ſemen. Sed nunquid cum in uterum conjicitur utrumque ſemen ab eo quod prævaluerit efficietur ſeu mas, ſeu fæmina? minimè: neque enim ſemina diſcerpta manent, ita ut unus effectus uni ſemini debeatur, alter alteri, in quo deceptus fuit Cardanus, qui exiſtimavit in ſemine maſculino eſſe vim formandi membrũ maſculinum, in fæmineo fæmineum, & ſic fieri marem aut fæminam prout hoc aut illud ſemen ſuperet, fieri autem utrumque, nempe androgynum, ſi utrumque ſemen æque ſuperaverit. Putat inſuper hanc ſententiam eſſe conſonam doctrinæ Galeni: Licet enim Galenus tribuat generationem maſculi intenſiori calori, hoc dixit quia magis confert ad generationem ſeminis virilis, non quod ſit activa virtus ſufficiens. Cæterum ſi Cardanus vult materiam antecedentem ex qua fit ſemen, provenire ex qua fit ſexus, utique à pleriſque admitti poſſet, ita tamen ut vis formativa non agat in hanc partem ſeparatim: quare dum Galenum dixiſſe putat in ſemine virili eſſe determinatam vim ad producendum ſexũ maſculinum & in muliebri ad muliebrem, prorſus errat, oppoſitum enim

nim constat ex verbis Galeni dicentis, omnes quæ in viris sunt partes in mulieribus etiam reperiri, juxta quòd concludit ab uno principio nata esse omnia quæ ad animalis generationem pertinent. Non ergo genitalia muliebria ex semine muliebri virilia ex virili in Galeni doctrina fiunt, sed omnia ex uno principio, cum tam hæc quam illa eandem habent figuram solaque differentia sit quòd fæmina est imperfectiori. 14. *usup.* c. 6.

Itaque utrumque semen in utero in unum conglobatur & evadit quoddam mistum quod pro ratione exuperantis caloris fit mas aut fæmina: quippe calidum est activum magis, frigidum autem calido minus. Neq; verò hinc inferre calorem esse causam principalem sexuum, sed instrumentum duntaxat quo utitur vis formatrix: cum enim mistum semen ex duobus magis in se habuerit caliditatis, mas generabitur: continebit autem caliditatis magis, si semen masculinum superet quantitate, aut fæmineum intra suos terminos caliditate abundet, ita ut attemperare quidem masculi caliditatem possit, quantum opus est ne semen fiat fæmineum, hoc est debile ex præpollente frigiditate. Viceversa etiam si semen masculum non admodum sit calidum, sed duntaxat quantum oportet ad generationis opus, sed aut si semen fæmineum masculini vim infringat, non ut impediat generationem, sed ut tota seminis massa reddatur debilis, & frigida. Hinc est quod, ut dicebamus Hippocrates, ut fæmina procreetur, jubet uti cibis potionibusque aqueis, hoc est frigidis, ut masculus, igneis nempe calidis. Non jubet hoc victu uti solum patrē aut solam matrem, sed utrumque simul, indistinctè enim loquitur, quasi attendens ad infrigidandum aut calefaciendum non hoc aut illud semen, sed utrumque simul. Hinc etiam est quod ait masculum à crassiore & fortiore genitura fieri, ac propterea citius efformari, nempe à tota genitura quando contingat crassiorem, fortioremque esse quod ita intelligendum esse constat, eodem autore inferius dicente vitrum suum uteri crassiorem genituram ingredi contingat, illic masculum gigni, in uterū verò rursus debiliorem ac humidiorem, illic fæminam generari. Non dicit generari fæminam in eo loco ubi contingat ingredi semen fæmineum, sed crassius participatione caloris incrassantis: incrassari verò à calore contingit utrumque semen, quod à calore miscetur, & ab eodem magis vel minus incrassatur. Denique prædicta doctrina ab Hippocrate expresse fuit prolata: inquit enim. *Si ab utrūq; semen fortius prodierit masculus erit partus, si verò debile fæmineum nascetur,* ubi advertite dictum esse *ab utrūq;* quod omnem tollit dubitationem. deinde prosequitur sic, *utrum autem multitudine, aut copia prævaluerit, iuxta illud ipsum partus nascetur: si enim*

H. de diata.

H. de nat. Puer.

H. de genit.

multò plus fuerit debile semen, quàm fortè, superatur forte, & debili permistum in fæminam transit, si verò plus fuerit fortis seminis, quàm debilis superatur debile & in marem transit. Quid manifestius dici poterat? forte debili permistum si pervaluerit fit mas, si superabitur, fit fæmina. jam igitur spectatur (de hac enim se loqui profitetur) in mistione utriusque seminis non in unoquoque seorsim.

Ratione etiam probatur: num semen habet vim instrumentalem ad producendam formam eiusdem speciei cum generante, aut ad conjungendam eam materiæ, si sit forma de foris adveniens, & constituendã organizationem, ergo in semine non est vis determinata magis ad maré, quàm ad fæminam, cùm ergo semen masculum, & fæmineum differant sola intentione caloris, necesse est ut adveniat facultas determinans, hæc autem est formatrix, quæ suscepit semen unum conflatum ex duobus: ergo non agit in alterutro seorsim, sed in uno & eodem prout magis participat hujus aut illius dispositionis nempe caloris & frigiditatis, humiditatis, & siccitatis.

Probatur etiam experimento: nam quemadmodum diximus dextram uteri partem calidiorem esse quam sinistram, eodẽ dicemus dextrũ testiculũ sinistro esse calidioré, quare calidius semen debet exire è dextro testiculo, quàm sinistro: experimento autẽ compertum est semen è dextro testiculo emisum marem gignere, è sinistro fæminam, unde Hippocrates quando fæmellã inquit generare volet dextrum testem obliget, quod ab Hippocrate Galenus accepit, idcirco rustici (ut narrat Avicẽna) stringunt sinistrum testiculum tauri, ut effundatur ex dextra. Aliud etiam experimentum ab Hippocrate acceptum est. Dum adolescens hircescit post quædam signa quæ ostendunt permutationẽ pueritiæ ad adolescentiam, adjungit sicut & illud si dexter prius testis intumuerit, hosce adolescentes factos, in ætatemque virilem cum euaserint, filios mares potius quam fœminas progignituros, quod si sinister è contrario. Hæc experimenta & alia quæ congerit peramatus, nos docent masculum genituram conferre aptam ad fæminam, & ad masculum procreandum ad fæminam, si materia frigidior sit ad masculum si calidior. Adque ita constat ex materia sumi indicium ex quo cognoscitur marem esse calidiorem fæminam frigidiorem. Constat etiam nõ levi conjectura, nam homines crapulæ dediti, quibus multum est semen idque crudum, fæminas ut plurimum solent generare, nequeunte scilicet semine fæmineo, quod ei adjungitur tantam multitudinem crudæ geniture corrigere.

De superfæcatione.

G. lib. de facile parabil.
6. epid. sect. 4. tex. 27.

Ex

Ex constitutione temporis quo fœtus generatur colligi etiam potest fæminei sexus frigiditas.

COnstat ex Aristotele, flatibus aquiloniis magis quam austrinis mares generari. *4. de gener. an c. 2.* Pastores similiter aiunt interesse ad maris aut fæminei, pecoris fæturam, non modo ut initus aquiloniis, austrinisue flatibus fiat, sed etiam ut dum pecus coit, spectet ad aquilonem aut ad austrum.

Siquis verò dicat aquiloniam constitutionem, cum frigidissima sit, magis aptam esse gignendis fæminis frigidioribus quam maribus, sciat oportet ex frigore externo calorem internum augeri: iccirco teste Hippocrate, ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, quod cõmuniter admittunt etiã philosophi in sua antiperistasi, quam puteorum aqua manifestat. Si vero adhuc instet, hoc si ita esset, frigidas regiones mariũ feraces futuras esse, cũ tamen ex opposito constet Ægyptum abundantius ferre. Dicemus in frigidis regionibus aquas esse crudas, crudæ autem aquæ, ut ait Aristoteles, & frigidæ aut sterilitatem, aut partum fæmineũ faciunt. *Aristot. ubi supra.*

Solvuntur rationes initio in contrarium propositæ.

AD Democritum & Parmenidem qui ex menstruorum emissione caliditatem fæminarum arguebat. quippe sanguis est calidus, ubi autẽ abundat calidum, caliditatem excedere significatur. Dicimus redundantiam quidem sanguinis indicium esse redundantiæ caloris. cæterum fæminis ex frigiditate contingit, ut tantum sanguinis coacervent, quod opus habeant hac evacuatione: muliebre enim genus, ut Galenus ait, ut *De sang. miss. adv. Crasist. c. 5.* quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceret, aut sub claro sole viveret ac ab utraque hæc multitudinem humorum coacervaret, ipsam evacuationem plenitudinis tamquam remedium naturale obtinere opus habebat. Hoc manifestum facit experientia: nam mulieres rusticanæ validis exercitiis occupatæ menstruis evacuationibus sine noxa ut plurimum carent, unde Rufus apud Aëtium ait mulieres saltatrices, & cantatrices non purgari, cuius rei fidem facit Musa, qui se cognovisse ait rusticas quasdam mulieres, quibus menses nunquam fluxerunt, *Musa lib. 5. aph. 3. 6.* & tamen sanissimæ fuerunt, & robustissimæ, & filios progenuerunt. Verũ de hoc ex professo inferius tractabimus, cum de menstruis erit sermo. Nunc autem sufficiat stabilire menstruas has purgationes argumentum præbere reduudantiæ sanguinis crudi, quem fæminarum frigiditas coacervavit.

Ad authorem de morbis mulierum dicimus adeo falsam, viris doctissimis visam esse eam opinionem ut aliqui in quorum numero est Vega verba illa tamquam addititia & ab aliquo indocto inserta obliteranda esse censeant. Alii inter quos numerandus venit Mercurialis, propter hanc sententiam totum opus de morbis muliebribus, ubi scripta est, damnent. Nihilominus suos, habet defensores. Cordæus sanguinem coacervatum calidiorem esse ait, forsitan quia conculcatus non difflatur. Heurnius explicat Hippocratem, imo excusat: non enim dicit mulierem esse calidiorem viro: aliud enim est solidas partes incalescere à sanguine, aliud sanguinem incalescere à solidis: à solidorum enim calore vibrat pulsus magnum ictum: fæminæ verò à sanguinis fervore frequentem edunt pulsum: nam ita resarcit magnitudinem frequentia & celeritate. Ita Ascanius resarciebat gressum patris Æneæ, non passibus æquis. Itaque putat Heurnius, se excusasse Hippocratem dicentem mulieres viris esse calidiores, quia Hippocrates non dicit mulierem esse calidiorem viro & propterea sanguinem esse calidiorem, sed ex adverso fæminam habere sanguinem calidiorem viro propterea esse calidiorem viro: quapropter illa ex se non est calida, sed sanguis eam calidam reddit: Hanc expositionem seu potius inanem excusationem tacito autoris nomine accepit Heurnius à Capivaccio, uterque igitur vult fæminam excedere calore ascititio virum autem innati.

Christoph. Veg. 3. prog. 10.

Heurn. de morb. mul. c. 1.

Sed si ascititio abundat ergo febrili, sic mulierem perpetuo febre laborare dicemus: neque possumus eam à febre liberare, dicentes caliditatem esse sicut caliditatem iræ aut laboris: hæc caliditas non perseverat, ut perseverat fæminarum. Deinde si calida est ratione sanguinis superabundantis, hoc habet duntaxat in ætate in qua fratrare incipiunt, hoc est qua ubera turgent & semen emittunt & cum menstruantur, unde ante menstruandi tempus, & in senio erit frigidior viro. Argumenta verò quæ probant eam frigidiorem esse, omni conveniunt ætati. Vt quod in loco gignuntur frigidiore, ex materia minus calida, quod mulier ambidextera non sit, & pleraque alia hujus census non concernunt magis fæminam menstrua habentem quam iis carentem. Præterea ex Hippocrate *si menstrua plura fiant, accidunt morbi, etsi non fiant ex utero morbi contingunt*, ex quo colligitur menstrua, sanas efficere mulieres: si sanas, ergo in statu secundùm naturam: si in statu naturali, ergo in eo temperamento quod sit frigidius virili.

Fratrare dicuntur fæminæ cum menstrua erumpunt. Arist. 7. hist. c. 1.

5. aph. 57.

Andreas Laurentius aliam affert excusationem, quam se à præceptore suo Ludovico Dureto accepisse ingenuè fatetur. Videlicet Hippocratem dum mulierem rariore carne præditam esse scribit usurpare no-

Lib. 8. suæ Anat. q. 2.

nomen raritatis, pro eo quod laxum est, & molle, non pro eo quod fo-
raminibus pervium est: ita enim rarius est magisque pervium viri cor-
pus propterea, & facilius, & liberalius sudat. Sunt ergo rariores mu-
lieres, hoc est laxiores, molliore sque, quod in libello de adenibus legi-
tur: quippe constare ait, ejus libri autor & pectora, & mammas, & to-
tum muliebre corpus laxum & molle esse. Cæterum non negamus fæ-
minarum carnes laxiores, molliores que esse imo id paulo post tractabi-
mus: quod negotium facessit, est scire an ἀραιός quod est rarus, signifi-
care posset id quod μαλακὸς καὶ χαῦνος dicitur, hoc est mollis, & laxus.
Respondent id fieri posse καταχρηστικῶς hoc est abusive. At si ita auto-
res interpretari liceret, nunquam aliquid difficile occurret, vellem à vi-
ris lingua græca peritis, quales hi duo fuerunt, aliqua mihi offerri loca,
in quibus hac abusione græci autores fuerint usi. Dum autem mihi id
non ostendunt, libet existimare, illum quicumque fuit, qui inseruit sen-
tentiam erroneam, nempe mulieres calidiores esse viris, inseruisse simili-
ter hunc alterum errorem, videlicet eas esse carne rariores.

Verum Laurentius non hac abusione contentus, alteram affert ut
sic per multiplicatos abusus suam astruat sententiam. Cum ergo Hip-
pocrates dixerit mulieres ob raritatem plus trahere alimenti, Laurentius
ait Hippocratem tractionis nomine abuti pro eo quod est excipere, &
continere: cum enim laxius sit mulierum corpus plus excipit, conti-
netque sanguinis. Verùm isthæc tractio vi tracta mihi videtur. Nam
accipit comparationem ab Hippocrate adductam, qui carnes mulierum
in sua raritate comparat lanæ, & quemadmodum lana plus suscipit hu-
moris, ita rara mulierum caro. Lanamque laxiorem esse ait vestibus
optimè contextis. At ò Laurenti lana non solùm mollior & laxior est
quàm vestis, sed etiam rarior, tunc sit lana & vestis, pariter trahunt, quia
parem habent siccitatem, sed, lana plus suscipit, quia rarior est: nonne
vides susceptionem arguere capacitatem. Capacitas autem major est
ubi plura sunt spatia vacua, ut in raro, quod foraminibus est plenum, ac
subinde dicere possum plenum esse vacuitatibus. Errat igitur autor li-
bri de morbis mulierum, qui attractrices dixit Hippocrates, hoc est, ha-
bere attrahendi vim, si ergo fæminæ viris magis attractrices carnes habe-
ant, habent fortiores operationes. Carnes attractrices ex ventre, & *6. epid. sect. 6. tex. 1.*
extrinsecus dixit Hippocrates: num carnes fæminarum fortiore attra-
hendi vi pollent? at sic & operationes potiores habebunt quam viri & e-
rit quartus error in prædicta sententia, quorum unus est, quod caro fæ
minarum sit rara; alter, quod sanguis calidior quam virorum; tertius,
quod fæmina calidiore temperamento sit prædita; quartus, & priorum
con-

consentaneus, quòd valentiore polleat attrahendi facultate. Ex raritate carnium colligetur major sanguinis copia quam in viris, majorque similiter caliditas, ex caliditate sanguinis major caliditas carnium; quis enim dixerit sanguinem calidum esse materiam ex qua fiunt frigidæ carnes? Ex carnium igitur calore ac proinde ex calido temperamento fit valida attractio. Et sic concatenati errores totam catenam, hoc est integrã entiam erroneam efficiunt, præstat igitur vel illam explodere, vel librum in quo scripta est damnare, quam ad inquirendam errorum excusatione sophisticis distinctionibus implicari.

Non tolerat hoc Antonius Ponce, verum sibi soli putat fuisse reservatam potestatem rectè explicandi prædictam sententiam, quam Hispana quædam jactantia exornatam nobis tradit. Igitur mulieres, inquit, cum carnis tenerrimæ sint, facile dilacerari, & dolere, quare febris statim excitatur, quæ cum morbus universalis sit, totam fæminam, & ejus sanguinem reddit calidiorem. Accusatque Andream Laurentium, & Duretum quod Hippocraticam sententiam rejecerint, cum tamen illi eandem, ut retulimus, rejiceretur explicarunt. Sed dicat mihi Ponce dolent ne semper fæminæ & dilacerentur? nescio quid respondebit, scio fæminas negativè responsuras, ergo si non semper dolent, non semper in eis accenditur febris, nec semper calidiorem habent sanguinem, nec semper sunt calidiores. Sed dicat ulterius, hæc febris est ne de genere ephemerarum an putridarum? non ephemera, nam ephemera non durat tamdiu, nisi degeneret in putridam, & sic semper erit in manifesto vitæ periculo. Parcat ergo mihi Ponce expositio, quam laudibus extollit, risu magis quam admiratione digna est. Imo admiratione digna, siquidem est Fracastorii sententia, risum ex admiratione nasci, quicquid contrarietur Valleriola, in quem pro Fracastorio Vallesius in certamen singulare exit.

6. Lectio. Omissis autoritatibus ad priorem rationem accedamus. Non est negandum testes, (quod jam superius est dictum) virilitatem robur caloremque in universum corpus effundere, in viris præcipuè, in mulieribus aliquantulum; cæterum fæminei adeo imbecilli sunt, respectu habito ad viros, ut etiam si intus reclusi commodiores sint ad communicandum calorem, non propterea tantum habent, quin viriles extra prominentes majorem habeant. Inprimis quòd intus reclusi sint, habent à frigiditate teste Galeno, at reclusio majorem arguit frigiditatem quam caloris communicandi utilitatem. Deinde cùm caloris sit dilatare, fæminei testes angusti exiguique diminuti caloris sunt soboles. Testiculos mu-
14. usup c. 12 liebres parvos penitus esse, vasaque exigua habere Galenus ait, tales autem

autem calori diffundendo, quantùvis introrsum vergant, prorsus inepti censeri debent. Concedimus nos fœminis castratione libidinem extingui: hoc autem quid aliud indicat, nisi eas à testibus caliditatem accipere, nunquam tamen quispiam persuadebit, ideo testes majorem calefaciendi vim habere in fœminis, quàm in maribus. Castrari jubebat Gyges Lydorum Rex, ut refert Cælius, aut, ut idem Cælius alibi ait Andramirus, castrari inquam jubebat fœminas, ut illis perpetuo uteretur tamquam ætate florentibus, aut forsitan ita fieri jubebat, ne gestandi & pariendi laboribus impeditæ, minus possent effrænatæ Regis libidini inservire, aut Zelotipia stimulatus earum veneream cupiditatem extingueret quominus aliorum amoribus caperentur: scimus enim castratas fœminas coitum non appetere. Hæc omnia, uti diximus, à testiculis venereum stimulum oriri significant, quem tamen flatus aliquis potest excitare in illa parte valde sentili, qua erepta non remanet ubi stimulus excandescat, hoc autem nihil facit ad calorem, quem testes fœminarum non sunt apti copiosum effundere.

Ad alterum, quæ fœminam citius augeri proponit ac proinde calidiores esse, quæram de quo augmento agitur? num de eo qui fit intra uterum, an de altero qui fit postquam fœtus in lucem exiit. Intra uterum quidem delineatio, & motus, quæ duo augmentum comitantur manibus citius accidunt, quàm fœminis: etenim mas trigesimo fœminæ quadragesimo diebus conformantur: conformatio caloris est opus. *Hip. 1. de diat. de nat. puer. & in epid.* Moventur celerius, mas tertio mense, fœmina non ante quartum, & magis frequentes mas edit motus: teste Aristotele quæ omnia calorem indicant. Accedit quod septimestres mares vitales quidem sunt, fœminæ raro evadunt. *4. gener. animal. c. 6.* Puerperia seu lochia mulieris, quæ masculum peperit, breviore tempore durant, quæ masculum, longiore: quòd mas suo calore sanguinis reliquias magis exhaurit, quæ omnia ab Hippocrate dictata nos docent actiones fœtus maris in utero citius & perfectius fieri. Extra partum verò mulieres citius augentur, teste Aristotele non quidem à calore, sed ab humiditate, quæ faciliorem præstat extentionem, ac *4. gen. animal. c. 6.* neque sic dicemus verè fœminas citius augeri, sed citius ad suum statum pervenire: est autē status fœminarū brevior, hoc est minore corporis mole præditæ sunt, ut constat ex Aristot. si ergo minor est moles, & mollior, *Minora esse corpora attribuit Arist. menstruis purgationibus 1. gen. animal. c. 19.* non mirum si citò summum acquirant gradū, ad quē per breviores perveniunt ætates. Esse fœminas minores viris non siluit Aristot. sicut neq; etjam siluit breviores illarū ætates, siquidē breviorem dixit eas habere vitā. Tandem non provenire velox augmentum à calore constat, quia Galenus ait fœminas citius augeri ac prius desinere: si calor augmenti autor

fuisset, utique diutius augendi ætas perduraret, ut cernimus in viris, quorum qui calidiore sunt præditi temperamento, tardius ad senectutem perveniunt: quippe calor naturalis, qui non sicut calor igneus propriam absumit materiam, sed eam perficit, ut jam ex Galeno ostendimus, diuturniorem in humido, quò ille vegetior est, moram facit, temperamento verò frigidi, & qui humiditatem, præ inopia caloris potius excrementitiam quàm radicalem habent, citò ad senium accedunt, unde constat fœminas paucum suum calorem humiditatibus, potius cruditatibus suffocare, ac propterea celerius senescere, brevioribusque vitæ terminis circumscribi. Hoc nobis parabolista Æsopus docet exemplo cucurbitæ, & palmæ, quippe cucurbita se jactabat, quòd ad radices palmæ nata citò ejus cacumen occupasset, palma tamen centum annos vixerat, cucurbita paucis mensibus, sed suo damno cucurbita superbiam depoluit, quippe inter paucos dies exaruit, palma diuturnitatem suam per plures adhuc annos conservavit.

Devenio ad exempla à brutorum moribus petita. Aves rapaces fœminæ velociore exercentur volatu, quàm mares, ita est: hoc provenit à majore calore: non admitto, sed cum Peramato respondeo mares, quoniam calidissimi sunt, imbecilliores fœminis minus calidis haberi:
2.aph.20. quoniam omnis intemperies si valde augeatur, dejicit actum propriæ operationis, ut autor est Galenus. Leæna leone, & ursa urso ferociores sunt, (dicebatur ex adverso) at ego non ferociores sed morosiores atque iracundiores dixerim: nam prolis quàm in utero gestarunt, nimia cura premuntur ac propterea circa eam in adorientes ferociunt: iracundia autem non caloris, sed frigoris soboles est, audite Galenum dicentem.
1.epid.sect. *Reliquum est de iracundis, hoc est ὀξυθύμοις ut agamus: quos maximè contrarios ait*
2.com.78. (nempe Hippocrates) *esse iratis, id est θυμώδεσι: magnanimi enim irati sunt, & humilium rerum contemptores: contra iracundi pusillanimes, quòd generoso, viriliq; animo non sint. Quare iracundi temperamento frigidiore erunt, vaporesque digerent difficulter.* Sic Galenus qui non absimilem alibi dicit esse naturam
3.epid.sect. eorum qui morosi appellantur: inquit enim. *Quid dictio δυσάνιος, hoc*
3.com.82. *est morosus significet docuit Critias: cujus sunt hæc verba; Morosus est, qui vilibus de rebus stomachatur, & de magnis plus cæteris mortalibus diutiusq;.* Itaque Leænam, & ursam, quòd de gallinis, & canibus fœminis dici potest, morosiores iracundioresque esse, magis indicat solicitudinem circa suos catellos, quàm temperamenti caliditatem.

Porrò hinc colligite partem animosam (sic eam Plato appellavit) quæ in corde residet, in fœminis non attestari calorem, sed neque eundem attestatur facultas alia ibidem sedem habens, quam Galenus pulsatilem


tilem vocat, quamvis Capivaccius & alii superius nominati putent eam fæminis quàm viris validiorem esse, sumpta occasione ex Galeno, qui pulsus fæminis frequentiores esse ait, cæterum idem Galenus de magnitudine pulsuum aliter loquitur, quippe robur facultatis, quod maribus adest, conferre ait pulsuum magnitudini, neque solùm ex caloris abundantia, verum etiam ex robore majores fieri marium pulsus. Cæterum idem ipse Galenus cap. 9. viros mulieribus pulsum habere tum majorem, tum vehementiorem & paulo tardiorem, satisque rariorem scriptum reliquit. Sed cur tardior, & rarior est? non quidem est tardus simpliciter & rarus, sed comparativè ad fæminas, quæ pulsum habent teste Galeno velocem & frequentem: quia nempe simul pulsum habent parvum & debilem ob frigiditatem, nequeunte scilicet frigida & debili natura pulsus edere magnos & vehementes, quare suppletur hic defectus velocitate & frequentia. Jam verò superius diximus Heurnium debilitatem & pulsuum parvitatem retulisse ad carnes frigidiores, frequentiam ad calidiorem sanguinem calidum jam diximus esse materiam ex qua calidior fit caro, quod ex Galeno addiscere possumus, siquidem ex recta coctione ciborum; sanguinem optimum fieri ait, ex optimo sanguine laudabilem nutritionem.

3. de caus. puls. c. 2.

de puls. ad Tyron.

6. Epid. sect. 4. com. 25.

Tandem ad exemplum equarum quæ velocitate cursus equos superant, respondemus equos veloces esse pro ratione caloris, & pro ejusdem excessu firmitatem laboris habere: equa vero currit celeriter, sed currendo citò defatigatur. Non ergo ei velocitas à calore est quandoquidem firmitatem non habet adjunctam, sed à formidine, etenim ad naturæ providentiam referendum est quod animalia meticulosa sibi sociam habeant celeritatem, ut celeri fuga timori satisfaciant, tam equus quam equa calcaribus si pungantur, currunt, fugientes scilicet illud malum, quod ingeniose annotavit Fracastorius fugiet ergo celerius equa, utpote timidior.






DISPVTATIO TERTIA.

De muliebri corporis habitu & constitutione.

7. *Lectio.*



Xplicare in primis oportet quid habitus nomine in præsente intelligamus, quod valde necessariũ esse censendum est; quandoquidem hoc vocabulum complura habet significata: nam ἕξις id est habitus, apud logicos qualitas est de prima qualitatis specie distinguuntq; ἀπὸ τῆς διαθέσεως, id est à dispositione, differuntque quoniam habitus radices habet difficulter educibiles à subjecto, dispositio facilè solubiles, & mutabiles. Hac etiam acceptione Galenus uti solet, opponens habitum dispositioni, quòd in libro ad Thrasybulum, & de bona habitudine profitetur: quippe habitus nomine in omni re, quæ constans est, ægreque amovetur, uti solet, definitque habitum esse affectionem stabilem.

Ad Thras. c.2. de bon. habitudine in principio.

Sed nunquid sanitas est habitus, morbus verò dispositio? sanitas quidem perfecta non simpliciter habitus, sed cum addito εὐεξις bonus habitus appellatur: habitus enim solum durabilitatem affectionis insinuat, bona ne an praua sit non declarat. Morbus verò διάθεσις, id est dispositio dici solet: nihilominus febris hectica aut habitualis teste Galeno dici solet, vel quoniam firma, ac solum difficilis est, (& hæc sit habitus significatio de qua hactenus egimus) vel quoniam ipsum corporis habitũm comprehendit: sic enim vocari solent partes solidæ, humidis ex adverso respondentes. Quare habitus quæ oculis conspicuæ sunt, sed omnes alias, quæ ab Hippoc. ἴσχοντα, hoc est continentia appellantur: unde meritò Gorræus reprehendit eos qui veteres Medicos accusant, quòd dixerint febres intermittentes in habitu corporis gigni, quia in ventriculo, jecure, mesenterio atque alibi nascantur: quasi verò hæ quoque partes habitus nomine non comprehendantur.

1. diff. feb. c.7.

Igitur inter plura significata nos eum quærimus de muliebri corporis habitu & constitutione. hanc secundã acceptionem accipimus inquirentes quomodo se habeant fæminæ circa membrorum temperamentum, & hic est habitus, aut circa eorundem figuram, situm, proportionem, & hæc appellamus constitutionem, præcipuè tamen eorum quæ

exterius apparent. Cæterum dicet aliquis membrorum habitum & constitutionem sequi ad temperamentum, quod Galenus significat, quando ait necessariò contrarias habitudines ex contrariis temperamentis esse ortas: quare supervacaneum videtur, quando jam egimus de fæmineo temperamento, agere nunc de fæmineo corporis habitu, quippe hic qualis nam sit, ex illo cognoscitur. Ab hoc tamen dubio nos liberat idem Galenus alibi, cùm ait *moderatæ temperaturæ indicia, secundùm totum animalis habitum, color quidem ex rubro, & albo commistus, capilli verò flavi, & ut plurimum mediocriter crispis.* Vbi Thomas Rodericus à Veiga nostras, præceptorque meus valde honorandus, notat additum *ut plurimum*, quia crispitudo, quandoq; sequitur meatuũ obliquitaté formationis sobolẽ non semper temperiem. Itaque cum multa compositionem membrorum, corporisque constitutionem accommodatam sexui expostulent, magisque referantur ad providentiam naturæ muliebria officia disponentis, quàm ad temperamentum vitæ custodiam machinantis, non erit abs re habitũ corporis fæminarum seorsim contemplari, & in eo arcana quædam ad prolis generationem necessaria inquirere.

1. sanit. tuend. c. 5.

Art. med. c. 41.

An rariores sint mulierum quam virorum carnes.

DE mollitie & laxitate muliebrium carnium constat apud omnes, imò mulierem à mollitie dictam dixit Varro, relatus à Firmiano, quòd si huius rei causam finalem inquirimus, non deerit utilitas, propter quã ita fieri optimum naturæ consilium fuit: quippe mollia magis reclusioni & exclusionique sunt apta, necessarium autem erat ut fæmineum corpus in se recluderet sanguinem educendum singulis mensibus & illum excluderet, similiter & fœtum, quod non sine magna violentia fieret, si membra ad duritiem vergerent. Marem autem duriorem esse oportuit, utpote qui in coitu maiorem resolutionis occasionem habet: efficiens verò causa humiditas est: etenim mollia quæ sunt humida esse per se notũ est.

De opif. c. 18.

Cæterum de carnis raritate major est controversia, licet enim eam decidisse videatur Hippocrates superius citatus, qui mulieres, ait rariore carne præditas esse, nihilominus jam tota illa sententia expulsa manet, & qui eam recipiunt non nisi abusive raritatem pro laxitate accipiunt; unde videtur communiter displicere quòd mulieres viris raritate corporis majore sint præditæ. causa cur ita sentiant communiter scribentes est quoniam raritas est effectus caloris: calorem viris quam mulieribus in-

tentiorem esse constat: quare consentaneum est ut ubi causa major est, effectus sit major. Nonnullas quæstiones philosophicas valde difficiles hoc loco occurrentes prætetire satius est, quàm nostrum principale intentum diverticulis obscurare. Vtrum scilicet rarefactione acquiratur nova quantitas.

Apponendum igitur est raritatem, & densitatem in corpore vivente, de quo agimus, respectu ad pororum multitudinem amplitudinemque habito intelligi. Quare Galenus, qui quoties de raro & denso agit, utrumque ad poros refert, medice loqui censendus est. Sic propriè rarum accipi, ait, quod meatus, quos Græci poros vocant magnos per totum obtinet, sicut è diverso densum, quod eosdem parvos, quam doctrinam millies repetitam apud eum invenietis. Dico poros esse necessarios ad constituendam raritatem in corpore non vivente, quia alioquin in corpore non vivente potest raritas dari absque meatibus, quod probatur experimento, nam vas aqua plenum & sat bene clausum si exponatur aëri frigidissimo, densatur aqua & sic minorem occupat locum, vas autem rumpitur, quippe non potest aer, aut quævis alia substantia ingredi, quæ spatium inane impleat, quod si densatione pori constringerentur, aer qui in illis continebatur, impleret illam capacitatem, constat ergo non fuisse poros, multo minus vacuum fuisse, quippe natura abhorret vacuum. exemplum etiam habemus tum in igne, quo nulla substantia subtilior est, qua possint meatus impleri, & in corporibus cælestibus, quorum partes aliæ aliis densiores sunt, nec tamen est aqua unde meatus impleantur, ignis verò licet haberet substantiam tenuiorem se, qua implerentur pori, sua nimia activitate eam in se converteret.

2. Sanit. tuend. c. 2 & 1. simp. c. 17 & lib 5. c. 14. & 6. epid. sect 5. cō. 6. & 10. met. c. 11.

Iuxta hanc hypothesim quærere an cutis fœminea sit rarior, idem est ac si quæramus an plura habeat spatia vacua: sic enim libet appellare vacuitates aere plenas, scilicet more Aristotelis, qui comprimuntur, inquit, quæcunque meatus habent vacuos congeneri corpore, ubi vacuos meatus appellat, id est, aere plenos, qui modus loquendi fuit antiquorum, teste eodem, quippe audiendi vim vacuo tribuebant: *nam aer* inquit ipse, *vacuum esse videtur.* Itaque fœminam meatus habere rariores quàm virum, non est dicendum. Neque hic disputabo an raritas & densitas sint secundæ qualitates à primis productæ: nam si qualitates sunt raritas producetur à siccitate, quæ fœminis impropria est, si non sunt qualitates sed situs quidam partium acquisitus per motum localem, hic motus calori debetur vel mediatè vel immediatè: jam ergo raritas sive à sicco sive à calido producatur, fœminæ non convenit, neque est aliqua necessitas quæ cogat rariorem dicere habitum corporis fœmineum quam mascu-

4. Meteor. c. 9.

2. de anim. c. 8.

maſculum, neque quod molles ſint, ideò oportet eſſe raras: quippe ut
molle duro ſic rarum opponitur denſo. Neque ex parte finis major ra-
ritas convenit fæminis: cum enim corpora foraminibus pervia facta ſint
ut aerem ad calorem attemperandum recipiant & fuligines expellant,
qui uſus raritatis colligitur ex Hippocrate in libello de alimento, Sanè
utrumque hoc magis neceſſarium eſt, ubi major eſt caliditas, nempe vi-
ris quàm fæminis, quas frigidiores eſſe conſtat. Ex parte agentis raritas
non convenit fæminis, quippe quæ humidæ ſunt, raritas non convenit
fæminis, quippe quæ humidæ ſunt, raritas autem ſiccitatis ſoboles. Præ-
terea Galenus non audet pueris ante decimum quartum annum ſangui-
nem mittere, quia plurimos habent effluxus per cutis tranſpiramenta:
quare eos evacuationi huic & ſimul alteri per venæ ſectionem non ſuf-
fecturos exiſtimat. Hinc ſumite argumentum ad probandum fæmi-
nas, ſi rariores eſſent quàm viri, non ſuffecturas evacuationi ſanguinis
quæ ſingulis fit menſibus, immo neque hac evacutione menſtrua indige-
rent. Nam jam ſuperius manet dictum mulieres ruſticanas, & quæ vi-
rilibus exercitiis occupantur menſtruis ſine ulla noxa carere: hoc autem
non aliunde provenit, niſi quia tranſpiratione ſuppletur ea vacuatio, quæ
ex utero fieri debuerat. Tandem fæminæ minus ab injuriis externis of-
fenduntur quã, quòd quotidiano expetimẽto patet. Si verò aliquis dicat,
fæminas, quæ ſedentariam vitã agunt & domi ſe continent, non oportuiſ-
ſe magis tutas eſſe ob occurrentibus externis quàm viros, quorũ labores
circa aeris intemperiem magis fiunt Reſpondebo naturam ad unum
una re uti, ad plura abuti: utitur denſitate fæninei corporis ad colligendũ
ſanguinem qui fætus formationi, & incremento materiam præſtat, alia-
rum verò utilitatem præ iſta quam diximus, non eſſe ſolicitam.

Itaque teneriores eſſe mulieres & molliores viris concedimus ra-
riores eſſe negamus; obſtat tamen libellus de glandulis, in quo juxta fi- *Hipp. de glandulis.*
nem hæc verba ſcripta leguntur. *Mulieribus enim rara eſt glandularum na-*
tura, quemadmodum etiam reliquum corpus rarum habent. Et paulò infrà. *Mas*
enim plenus eſt, ita velut pallium denſus, tum ad viſum, tum ad tactum; fæmina verò
rara, & laxa, & velut fluida, tum ad viſum, tum ad tactum. Non eſt tamen cur
nos deterreat hic author, quem non fuiſſe Hippocratem nos admonet
Galenus, quippe libellum de glandulis tam loquutionibus quàm ſenten- *Gal. 1. de*
tiis longè ſuperari, ait, à germanis libris Hippocratis: neque ullum vete- *articulis*
rum Medicorum eius libri meminiſſe, neque ab iis qui indicem ſcripſe- *com. 46.*
runt commemorari. Eſt ea alia difficultas ſumpta ex Hippocrate di- *Hipp. de alim.*
cente, qui mala tranſpirant, ante quam ægrotent, robuſtiores. Vnde ſi
fæminæ corpus minus rarum habent quàm viri, male tranſpirabunt &

ſubindo

subinde erunt robustiores; dupliciter respondemus, primo fæminas licet minus transpirant, minore transpiratione indigere, quia frigidiores sunt & respirant quidem minus, sed non male utique respirant pro necessitatis mensura, vel dicendum fæminas licet hac conditione possent esse robustiores, tamen ex multis aliis debiliores esse debent, ut ex mollitie ex frigiditate.

De mulierum candore, glabritie, Lævore.

SI fæmineum temperamentum spectemus cum pituitosum hoc est frigidum sit, & humidum color totius corporis debet esse candidus. Si etiam sedentariam vitam quam domi conclusæ degunt, nec torrentur à sole, neque à ventis percutiuntur, si præterea cruditates, quibus magis quam viri abundant, in memoriam revocemus, hæc omnia candidum mulierum corpus debere esse arguunt: quapropter nisi per accidens mulier à suo proprio temperamento dilabatur & humorem præter naturam congerat à quibus pallida aut nigra efficiatur, albidior fere semper est viro: quippe earum unaquæque cutis quæ, utpote membrum spermaticum, est nullo infecta humore extraneo albescit, quod si simul habeat prædictas conditiones, longè solito albidior est, quod adeo proprium est mulieribus, pueris, & eunuchis, ut videatur in viris muliebritatem præ se ferre, unde illud Petronii Arbitri

Dum dubitat natura marem, faceretne puellam,
Factus es, ò pulcher, pene puella puer.

Præterea cum carnium muliebrium mollities teneritasque, cutem secum afferat tenuissimam, maximè eam quæ faciem tegit: frictionibus enim, lotionibusque frequentibus attenuatur, tamquam crystallus, aut tela tenuissima id ostendit quod sub se habet: si rectè sit temperata, habet sanguinem valde rubrum, qui sub cute tenuissima apparens, efficit roseum ac pulcherrimum colorem ex rubro & candido permistum, unde
Æn. 12. Virgilius

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, vel mista rubent ubi lilia multa
Alba rosa, taleis virgo dabat ore colores.

Et similiter Tibullus

Tibull. eleg. 4.
Candor erat qualem præfert Latonia luna
Et color in niveo corpore purpureus.

Vnde

Vnde Lucianus candor ille perpetuus, inquit, neque in maribus, neque in fæminis probatur, nisi rubor admistus, illi decus junxerit. Quod etiam inter medicos constat: albus enim duntaxat pituitam indicat, quæ si sanguinem laudabilem admistum habeat, nihil decentius esse potest. Quod Galeni doctrinæ consonat: quippe describens temperamentum paulo calidius cum multa humiditate, ait mollis his caro est, & multa, & color commistus ex albo & rubro. *Luc. in dialog. Doridis, & Galat.* *Art. med. c 57.*

Cæterum aliquis in sacris literis versatus poterit objicere sapientissimum Salomonem in canticis, qui videtur colorem nigrum magis commendare in mulieribus; album verò, & rubrum in viris: nam quod attinet ad mulieres, sponsa de se ait, *nigra sum sed formosa*, vel secundum originale, *nigra ego, & formosa*, quod attinet ad virum sponsa de eo ait, *dilectus meus candidus & rubicundus*. Cæterum, ne arcana mystici sensus penetralia ingrediar, sic literam interpretabor. Sponsæ nigredinem, sponsi verò albedinem cum rubore permistum utrumque contrarium esse colorem ei quem unusquisque sexus postulat, sed id evenisse ex accidente: cùm enim mulier deberet umbratilem vitam agere, vir autem solis calore aduri, oppositum accidit: quippe sponsa solis radiis exposita nigredinem, potius subnigredinem requisivit, unde ipsa de se ait, *noli me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol*. At sponsus ille erat de quo illa *ego dilecto meo & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*, quod umbratile vitæ genus videtur significare. Siquis autem curiosius quærat si nigredine erat deformata sponsa, cur inferius de eadem sponsus ait, *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; huic ego respondebo, quod quidam, ait in corpore formoso etiam nævum non minuere, sed potius augere pulchritudinem. Vel etiam dicendum nigram fuisse, sponsam non tamen ideo sponso displicuisse, unde apud Ovid. Sapho inquit *c. 1. n. 5.* *c. 4.* *c. 6.* *c. 4.*

Candida si non sum, placuit Cepheia Perseo
Andromache patriæ fusca, dolore suæ.

Vel tandem dicendum non multum interesse qualis aliquando fuerit sponsa, vel qualis ipsa sibi videatur, sed potius qualis nunc sit, cum ab sponso tota pulchra dicitur, vel qualis sponso videatur. Sed de his per modum digressionis palato studiosorum sit satis. *Ovid. in epist. Sapho ad Phaon.*

Accedo ad fæmineum corporis lævorem, qui densitatis consectaneus est: quippe rara corpora hirsuta esse ex eo constat, quòd ratum est calidum & siccum? calida autem & sicca intemperies, (ut Galenus ait) hirsuta est, quare ex genere contrariorum frigida, & humida est hirsutæ contraria, nempe lævis: talem autem esse fæmineam naturam ex dictis satis constat. Porro Galenus in hirsutorum ordine tria tempera- *8. Lectio.* *2. de temper.*

 menta

menta collocat, inter quæ maximè hirsutum est calidum, & siccum; minus quod calidum est, in humidoque ac sicco temperamentum; minus autem quod siccum est mediocritate servata in calido & frigido. Nescio tamen cur calidam, & humidam temperiem omiserit cùm revera ob excedentem calorem, & excrementorum copiam, hirsuta sit, ut ipsemet Galenus alibi fatetur: fallitur namque Triverius calida & humida corpora glabra esse sentiens. Alter est glabrorum ordo, quo tres aliæ frigidorum temperamentorum differentiæ continentur. Omnium maximè glabra sunt corpora frigida humida, talia sunt fæminea in eo temperamento quod postulat sexus fæmineus: minus glabra quæ frigida sunt, in humidoque & sicco temperata, minus adhuc quæ frigida sunt & sicca. Hic quoque prætermisit corpora humida, quæ servant in frigido, & calido mediocritatem, quæ si ad temperatam naturam conferantur, glabra sunt: quia licet moderato calore fuligines expellantur, concidunt tamen meatus ob nimiam humiditatem. Ex his omnibus intelligetis universim quæ ad frigidum, & humidum vergunt corpora, qualia sunt fæminarum, glabra esse.

Gal. art. med. c. 57.

Porrò mulieres quia intra se ipsas concipiunt, non indigent externis illecebris, quibus excitentur ad coitum: inest quippe vulvæ insatiabilis quædam seminis virilis cupiditas, quod sapientissimus Salomon nos docuit, inquiens, *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit sufficit: infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis verò nunquam dicit sufficit.* At virum quem oportebat semen in aliud conjicere, oportuit habere à quo excitaretur, ideo ei offertur delectabile objectum, nempe oculis pulchritudo, cujus magna pars in coloris suavitate consistit, tactui lævor asperitati contrarius.

Prov. 30. n. 17.
** alias sepulchrum.*

Lævor itaque comitem habet glabritiem, ideo mulieres pilis carent: nisi in capite, sub alis, & circa pudenda, cujus rei oportet reddere rationem. Quemadmodum in magno mundo dantur vapores humidi, dantur & exhalationes siccæ, sic etiam in nostro corpore, quod Microcosmus appellatur, vapores dantur ascendentes ad caput; qui sua humiditate somnum conciliant, ac si abundaverint, generant catarrhos & alios soporosos affectus, Attolluntur & sicci fumi ex quibus præter alia pili fieri solent: quod Galenus testatur non semel. Hoc tamen ita intelligi debet, ut siccitas sit, qualis corpori viventi debetur, hoc est non penitus humiditatis expers: quippe terræ ea quæ omnimodam habuerint siccitatem comparabuntur testacea & ostreacea animalia, in quibus pili præ siccitate duritie & densitate nasci nequeunt, quemadmodum non nascuntur plantæ in terra valde saxeam naturam obtinente. Ex

1. temper. c. 16. & c. 9. & 2. ejusd c. 3. 14 meth. c. 18.

altera

altera parte loca humidissima inepta sunt ut in ipsis plantæ nascantur, eodemque modo corpora valde mollia & humida, uti corpora fæminarum, non sunt apta generationi pilorum.

Itaque tam ex parte humiditatis constat fæminas pilis carere, siquidem pili in siccis magis quam in humidis naturis reperiuntur. Idem etiam constare potest ex parte raritatis: nam supra probatum manet fæminas densum habere corporis habitum: at pilorum generatio raritatem cutis expostulat, dicente Galeno ex pilorum multitudine accipi raritas argumentum. *6. aph. 63.* Cæterum loca quædam quæ sunt velut emunctoria, ad quæ plurima excrementa mittuntur, non possunt non limosam quandam materiam suscipere, ex qua pili generentur; quare mulieres quæ sine pilis toto corpore sunt, sub alis & juxta inguina pilescunt, ob excrementa in illas partes copiosè transmissa: quippe ea emunctoria natura rariora quàm reliquas partes efformavit, ut scilicet excrementa illuc confluentia facile habeant discussionem.

Porrò glabrities mulierum aliam etiam habet causam, nempe viam excrementorum: quippe fæminæ excrementis abundant, sed ea singulis mensibus copiose è corpore per uteri regionem excernunt. *G. 11. de usup. c. 14.* Cur verò in capite longiores fæminis quàm viris pili nascuntur, duplex causa esse potest, una quoniam (ut Galenus ait) duplex pilorum est origo, quemadmodum plantarum, alia quidem à conditoris providentia alia verò à loci natura: ad loci naturam ergo refert pilos tum axillarum, tum aliorum membrorum: sed alia ratio reddi potest nempe cùm densitas habitus fæminei impediat halituum transpirationem, quæ fit per universum corpus, fumi qui per corporis ambitum excernendi forent, (sunt autem non pauci quamvis pars major per menstrua expurgetur) fumi, inquam, in pilos abituri ascendunt ad caput & continuam, copiosamque pilis gignendis materiam præstant. Hinc etiam advenit quòd nec mulieres, nec spadones calvitiem subeunt: & de spadonibus habemus Hippocratis documentum, *6. aph. 28.* hoc autem eis evenire Galenus ait, quia corpus habent fæmineo corpori simile & sic tam fæminæ quam spadones, nec podagra laborant neque calvi fiunt, imò neque etiam pueri ante usum venereorum, teste Aristotele: *de gen. animal. lib 5. c. 3. & 3 de hist. c. 11.* quare existimare oportet caput valde excrementis abundans materiam pilis gignendis suppeditare omnibus qui muliebrem habent naturam, viris autem coitu utentibus materiam pilorum ad barbam ad axillas ad pubem magis inclinare, unde poeta, *inde tragus celeresque pili mirandaque matri barba* quia scilicet veneris usus barbam accelerat, potestque ad venereorum usum in maribus sequi calvities. Cæterum spadones quibus in virili ætate constitutis, cùm jam barbam haberent,

berent, testes execti sunt, hi barbam quidem conservant, tametsi raram ex pilis admodum tenuibus constantem.

Cur autem fæminis & iis quorum habitudo fæmineam imitatur, ut sunt pueri, & eunuchi imberbes sint causam inquirere oportet. Nam cum viris barba data sit, ut plerisque doctissimis viris placet, ad ornatum tantummodo non ad aliam utilitatem, si barba ornatui inservit, cur hoc decore natura fæminas privavit? si fæminis decora non esset, cur magis ornatui viris est? Aristoteles quidem in hoc mihi videtur defecisse, quod philosophus cum esset & teneretur hujus rei causas inquirere, Historici duntaxat officio functus ait, *Pili in mento mulieris non prodeunt, nisi interdum pauci, cum menstrui cursus substiterunt, & ut in terra Caria mulieribus sacerdotibus evenire ajunt, quòd divinationis indicium interpretantur.* Sic Aristoteles: cæterum si historiis decertandum est, dabimus eis mulieres quæ non paucos, ut ille ait, sed satis multos longosq; pilos imò prolixam & fæcundã in mento barbam præ se ferebant: quarum peculiares notas unusquisque apud Marcum Antonium Vlmum, qui hoc argumentum satis feliciter tractavit, reperire potest. In primis nostro ævo visa fuit quædam Helena Antonia natione Germanica, quæ prominentem habebat ad pectora barbam. Altera Jacoba Nigra Novellariensis, quæ barbam tum in mento, tum in labro superiore satis densam obtinet. Maria Pellegrina item Novellariensis, quæ barbam gerebat, cujus pili erant nigri, crassi, duri, ipsa verò voce virili erat prædita, habitu corporis compato: thoracem, caput, manus, dorsum pilis obsitum gerebat. Vidit etiam hujusmodi monstra Hippocrates, ut in Abderis Phaetusa Pythæ uxor, & in Thaso Namysia uxor Gorgippi; verum de his inferius tractabimus, cùm de mutatione sexus erit sermo.

Lactant. Firm. de opific. Dei c. 7.
Gal. 11. de usu part. c. 19.
Cicer. 3. de finib.
Arist. 3. hist. c. 1.

Relictis ergo historiis ex quibus non potest duci argumentum, nisi ad probandum non esse impossibile nasci mulieribus barbam, quod non negamus, scire oportet cur juxta naturæ ordinem fere semper barba viris tantummodo data est. Quod adeo est verum, ut si quando mulier barbata conspiciatur, pro monstro habetur. Rectè ergo ex iis quæ eveniunt ut plurimum occasionem accipimus inquirendi cur soli viri barba est data.

Quod ad causam finalem ex superius dictis colligimus barbam ornatus gratia à natura fuisse concessam: deest tamen adhuc scire, quod nam afferat ornamentum barba & cur sit magis virile quàm muliebre ornamentum. Quare considerare oportet barbam esse ex iis quæ postea nascuntur, unde inferre licet barbam esse naturæ ætatis signum, maturæ autem ætati debetur reverentia, debetur & virili sexui utpote qui nobi-

nobilior est muliebri. Propterea barbam dicemus esse ad exhibendam viro reverentiam, siquidem ex ea colligentur duo, quorum utrumque ad venerationem invitat, nempe virilis sexus, & ætas matura. Hinc est quod prisci summo studio barbam nutriebant, & barbam vellere pro magna injuria etiam hodierna die reputatur, quòd ergo antiquis opprobrium fuerit barbam alienam manu tractare testimonium præbet M. Papyrius apud Livium, qui Gallo barbam suam, ut tum omnibus promista erat, permulcenti Scipione eburneo in caput incusso iram movit, & inde cæterorum strages fuit orta. Actum agam si quæ ab aliis, præcipuè à Pierio Valeriano ex professo erudite sunt scripta, vellem transscribere, sufficiat in præsens barbam apud omnes in honore semper fuisse, quod non aliunde evenire potuit, nisi quia significat tum ætatem reverentia dignam, tum sexum nobiliorem. *Tit. Liv. Decad. lib. 5*

Si efficientem causam inquirimus, Hali Abbatem audire liceat, qui in hunc modum scriptum reliquit. *Oritur autem viris, & non mulieribus barba duplice de causa: altera est quoniam virorum in corporibus fortior est, quàm in mulierum calor, vaporesque fumosi & calidi, qui pilorum materia sunt: in viris non sufficit natura illos uno loco tantummodo producere, sed duobus disponit, altero in capite pilis, altero in barba. Altera causa est, mulieres in domibus conversantur, nec attinet illis barbas producere, menta eorum nuda sunt, & pilis non indigent, ornatiores enim sic sunt & competentiores.* Vtraque hæc causa ab Hali Abbate allata inanis mihi videtur, prima quia dum plures fuligines viris quàm mulieribus tribuit, tenetur causam reddere cur muliebri longiores quàm uiro in capite crescant pili: Altera quoniam nihil concludit: nam si quia domi manent, non indigent hoc ornamento, certè eis ornamentum non est, quippe ornamentum si foret, nihil damni esset ab omnibus conspici: deinde si sic imberbes decentiores sunt, cur non explicat unde eis adveniat iste decor? si forsan diceret mulieres domi manentes non admodum experiri aeris inclementiam, ac proinde non indigere tegumento labori superioris, & inferioris ut sic minus à frigore dentes offendantur, utique recte dixisset: verum sic causam finalem nobis magis quàm efficientem traderet. Crediderim viros calore & fumis abundantes multam ad superiora pilorum materiam transmittere, quæ materia facile ad anteriora vergit, quippe in posterioribus obstacula plura sunt, ad anteriora autem vergunt viscera calidissima, hinc est quod mares calido temperamento prædici pectus valde pilosum habent, & eodem jure etiam mentum.

Possumus etiam dicere inter pubem & mentum esse consensum aliquem, propterea viros, cùm pubescere incipiunt, incipere etiam lanugine prima malas exornare, quod similiter fæminis contingere deberet, nisi

nisi esset quòd fæminæ propter ejusdem pubis cum uberibus consensum, tunc cùm pubescunt, simul incipiunt fratrare & mammas extollere quæ ratio non est omnino contemnenda.

Arist. 1. gen. animal. c. 19. Pertinet etiam ad habitum mulierum, quòd pinguiores sunt viris, quod agnoverunt prisci: quippe in cadaveribus cremandis decem virorum corporibus unum muliebre adjungebant ut præ pinguedine esset veluti tæda & fax ad accelerandam combustionem. Cùm ergo mulieres multa humiditate abundent quæ quidem non omnino aqueam, sed aliquantulum adiposam naturam habet, cùm rursus in ijs deficiat calor, qui possit hanc absumere humiditatem, fit ut ea potius defectu caloris concrescat, quàm eiusdem excessu evanescat.

Quia existimavit fæminas non emittere semen, existimavit etiã rationem, cur pinguiores sint, esse, quia materia semini proportionalis, qualis est pinguedo, absumitur in semen virorum; & re vera cum semen virile sit magis corpulentum quam fæmininum fæminæ non consumunt pinguedinem in coitu.

Est etiam muliebris habitus circa pectora fungosus, aptusque ad lactis tum generationem, tum etiam custodiam. Narrat Plinius virorum
Lib. 7. c. 17. cadavera supina fluitare, fæminarum verò prona, quod ille tribuit pudori fæminarum: quæ ratio ridicula videtur: qui enim fieri potest ut cadaveri vita functo pudor insit? Melius Cælius Rhodiginus ideo fæ-
Rhodig. lib. 2. c. 9. minas pronas fluitare, ait, quia ventricosæ sunt, & quod earum mammæ spongiosæ & fungosæ natura existentes multam in se combibunt aquam, qua ille repletæ, simul cum ventris male, onus ad partem illam inclinare faciunt.

Arist. 7. hist. c. 7. Cum autem ventricosæ sint, & saticlunes, & partes circa ventrem inferiorem ampliores, quàm viri habent, id factum est, consulente scilicet natura fætui in utero gignendo: nam sic ei præparavit locum, quoad potuit accommodatũ, ut dum per novem menses in illo carere detinetur, domicilium haberet, in quo non penitus coarctaretur.

Mulieres acutiorem quàm viri habent vocem, quod tamen non omnibus animalibus est commune: ut videre est apud Aristotelem, nam
5. hist. c. 14. bobus contrarium evenit, quippe fæminæ quàm mas graviorem habet vocem; & vitulis gravior est, quàm adultis; habent ergo fæminæ, & eunuchi asperæ arteriæ cavitatem angustam propter temperamentum frigidum omnia angustantem; puerorum verò in ea ætate angusta est cavitas, sed quoniam argumento ætatis fit latior, vox his mutatur in graviorem; fæminis verò, ut eunuchis semper acuta manet; sic olor quem exequias suas celebrare non solùm Poetæ, sed alii narrant, ut Elianus est
Elian. lib. 19. c. 36. Plin. 10. c. 23. testis, quamvis Plinius fabulosum id esse putet. Cæterum verisimilius est huic volucri adventante morte subtiliori voce, & magis ad mærorem invitante canere.

DISPV-



DISPVTATIO QVARTA.

Lectio 9.

Vtrum sit possibilis sexuum permutatio.



QVando an mutatio sexuum possibilis sit inquirimus, unam tantùm intelligimus mutationem à fæmineo sexu in masculinum, quippe altera à masculo in fæmineum manifestum est esse impossibilem, neque de hoc unquã quispiam dubitavit, dictante scilicet id ratione, quippe regressum in imperfectius non molitur natura, neq; ex perfecto efficitur mutilatum: at fæmina & imperfectior est viro & vir mutilatus appellatur. Quod si dicatis posse quidem unumquodque in deterius ruere, non à natura, sed à causis præter naturam, unde à sanitate datur lapsus in morbum. Respondemus, id quod à causa præter naturam fit, fieri non posse ut evadat secundum naturam: at fæminam, si ex mare fieret, oportet esse naturaliter talem, alioquin nos non dubitamus ex maribus fieri spadones, qui quodammodo sunt fæminæ non propriè & secundum esse verùm impropriè, & apparenter. Propriã fæminam ex masculo evadere neque degenerare, initium autem degenerandi (ut Aristot. ait) est fæminam fieri: neq; ars facere potest, quod si potest, Nero id obtinuisset, qui sporũ puerũ exectis testibus, etiã muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote, & flammeo persolemne nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se pro uxore habuit. Extatque cuiusdam non inscitus jocus, bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem, neque veritatis inquisitionem fabulæ possunt remorari, fabulosum enim est quod de Tiresia narratur, qui ob serpentem occissum è viro in fæminam fuit mutatus, & ob eandem causam rursus in masculum sexum restitutus. Itaque relictis nefandi concubitus ministeriis, cùm vir nubit in fæminam ex JurisConsultorum loquendi modo, id quod in dubium vertitur, est an fæmina possit aliquando in virum evadere, hoc est veram fæminam in verum virũ transmutari.

Suet. in Neron. c. 28.

Videndus Ausonius pag. 23. in epigr. de iis qui sexum mutarunt

Ad leg. Iul. de adulter.

In doctrina Galeni non est impossibilis isthæc transmutatio, siquidem omnes quæ viris, inquit ille, insunt partes in mulieribus etiam reperiuntur. Nam quemadmodum talpa oculos habet imperfectos, non tamen

14. usup. c. 6.

tamen imperfectos æquè ut quibus animalibus ne ipsorum quidẽ omnino ulla est delineatio, sic & mulier partibus genitalibus viro & imperfectior: partes enim ipsius formatæ intus fuerunt, dum ipsa utero adhuc gestaretur: cum autem extare & foras emicare præ caloris imbecillitate non possent, ipsum quidem animal quod conformabatur, imperfectius eo quod undique est absolutum reddiderunt. Ex hac fæminæ conformatione à Galeno tradita, quid aliud inter fæminam, & marem interesse compertum est, quàm fætum dum formaretur in media via constitisse & subinde in fæmineo mansisse sexu, si verò ulterius progrederetur masculum futurum. Ergo quod tunc non fuit progressum progrediatur per aliquod annos, hoc quid prohibet ita fieri? profectò nihil, ergo neque quicquam prohibet id quod fæmina erat prius, in masculum progressu temporis progredi.

Hinc obiter colligite spadones mulieribus esse imperfectiores.

Neque videtur reluctari Hippocrates, siquidem duas narrat historias duarum mulierum, quas juxta id quod evenisse tradit, in viros fuisse conversas unusquisque fatebitur. In primis eum Phaetusa Pythei conjux abderita cui jam olim puella fæcunda esset, ejus marito in exilium acto, muliebria defecerunt multo tempore, postea verò in articulos dolores & rubores cùm ei contigissent, tunc corpus virile factum est, & hirsutum, & barbam emisit & vox aspera facta est, & cùm omnia fecissemus ut muliebria extraherentur, non venerunt, sed mortua est, cũ non multum postea tempus vixisset. Huic historiæ aliam non absimilem annectit inquiens, evenit autem & Namysiæ Gorgippi uxori in Thaso idem: videbatur autem omnibus Medicis, quibus & ego forse adfui unica spes esse si effiminaretur, & secundùm naturam prodirent, sed neque huic potuerunt venire omnia facientibus, sed obiit non multo post.

6. epid. sect. 8. in fine.

Verùm neq; Galeni doctrina, neque eventus ab Hippocrate enarrati nobis persuadent rem omnino impossibilem, quæ nemini sanæ mentis in mentem venire potest.

Non posse ex Galeni doctrina colligi mutationem sexus.

CORruit in primis transmutationis ratio in doctrina Galeni, si corruat fundamentum in quo stabilitur. Fundamentum est genitalia muliebria & virilia solo situ differre, ac proinde posse ea membra quæ in fæminis intus latent, extra prodire, & sic ex fæmina evadere virum. Acreclamant Anatomici, nec istam similitudinem, identitatemve admittunt.

Quare

Quare cum autopsia oculis offerat impossibilitatem mutandi membra muliebria in virilia ratio etiam nos coget dicere impossibilem esse istam mutationem.

Meritò quidem Anatomici damnant chymericam conversionem membrorum virilium in muliebria, & viceversâ muliebrium in virilia, de pene ne verbum quidem facit: quippe vidit non posse longitudinem quam ille mente concipi iubet. Nam huius membri ex aliquo muliebrium membrorum assumi. Si quis vero dixerit in mulieribus esse id quod Avicenna *albarram* vocat, id est virgam, Albucasis *tentiginem*, Falloppius *clitorida*, Andreas Laurentius muliebrem *mentulam* seu penem fæmineum: quippe particula hæc ligamenta habet duo ab ossibus pubis orta, intus spongiosa in cuius extremo aliquid inest glandi simile quod tenuissima cute instar præputii tegitur, sciat non pose ex hoc pene penem virilem confici, quippe virilis fistulosus est, & cum seminitum urinæ egressum præstat, muliebris verò meatum nullum habet, per quod semen excernatur, sed inservit ut perfricatus torpentem excitet Venerem, & propterea clitoris vesicæ nullo modo est continuum, sed in vulvæ apice positum atque ita non potest per inversionem à Galeno excogitatam virilibus inservire ministeriis. Vult etiam Galenus matricem converti posse in scrotum, sed quo jure id faciat ipse viderit, mihi certissimum est diversam omnino esse utriusque substantiam: quippe scrotum cutis est rugosa, uteri fundus membrana densissima tota intus carnosa, & multiplici villorum genere texta. Denique multa sunt in quibus muliebria genitalia à virilibus discrepant, non situ modo, sed ut Andreas Laurentius ait, numero, forma, & structura. Itaque jam ex hoc capite exclusa manet Galeni doctrina, neque quicquam inservit ad monstrandam sexuum mutationem. *Andr. Lau. lib. 7. q. 8.*

Sed progredior ulterius, & Galeno (pro reverentia tanti viri) admitto partes genitales intus formatas emicare præ caloris imbecillitate non possent, ipsum quidem animal quod conformabatur, imperfectius eo quod undique est absolutum, reddidisse: admitto, inquam hoc, quod tamen ratio admitti posse negat, quippe partes in eo situ fuerunt formatæ, in quo nunc manent, nec dentes etiamsi post aliquot menses apparent, tunc cùm apparent, relinquunt priorem locum, sed excrescentes abrumpunt præ magnitudine gingivas. Cæterum quando verum esset has partes præ caloris inopia intus remansisse, non hoc sine causa finali factum esse existimandum est: ipsemet Galenus utilitatem hinc consequutam esse fatetur: cùm ergo bonum sit communis omnium finis, cùm rursus bonum triplex sit honestum, jucundum, utile, profectò fæmina erit facta propter finem, nec dicetur animal occasionatum: si ergo generatio

ratio illa, qua fæmina producta fuit, suum finem est adepta, non poterit naturaliter ulterius progredi, atque ita fætus qui semel in fæminam desiit, non potest ulterius in virum evadere.

Est quod dicatis, nempe utilitatem quæ consequitur, non esse respectu ipsius fæminæ cui utile fuisset ulterius membra foras progredi, sed respectu totius speciei, quod significans Galenus addit, *toti verò generi utilitatem non aspernendam præstiterunt, oportebat enim quandam esse fæminam.* At ego existimo ipsi fætui, supposito quòd membra habuit angustiora & minora quàm quæ virum decebat, utile fuisse intus remanere. Nam cum genitalibus angustis & parvis mas esset valde fæmineus, hoc est imbecillis & mollis & ineptus, etiam sub masculo sexu, ad generandum. Quare melius fuit fæminam fæcundam remanere, quàm virum sterilem evadere, cui dici posset

Nec dulces natos Veneris nec præmia noris

Clausis intus genitalibus poterit esse mater, exclusis verò iis quæ angusta sunt, non erit unquam pater. Matrem verò, & patrem esse pro magno Dei beneficio habetur, ut constat ex quamplurimis sacræ paginæ locis.

Hippocratem suis historiis noluisse mutationem sexuum insinuare.

PHaetusa, & Namysia duæ mulieres quibus insignem mutationem contigisse narrat Hippocrates, non eò progressæ sunt ut in virilem sexum fuerint transmutatæ, neque hoc voluit significare magnus senex, ut constat ex ejus verbis. Multum quidem interest virilemne habitum dixerimus, an virilem sexum. Non est mirum Viragines esse hirsutas, fortes, atque etiam vocem barbamque virilem præseferentes: nam (ut jam superius dixisse memini) intra latitudinem fæminei temperamenti potest mulier accedere ad summum gradum, ac propterea ad aspectum & mores viriles. At sexus, cui in generatione prolis suas partes tueri convenit, non adhuc mutatur. Fæminam dicit Aristoteles esse quæ intra se generat, marem qui in alio: hoc, quantumvis reliqua mutentur, immutatum remanere debet, quare si aliquem virum ex fæmina factum nobis narratur, qui sub posteriore sexu prolem genuit, scire expedit hunc non fuisse prius veram fæminam, sed vel natura vel industria simulatam: alia verò exempla earum quæ veræ fæminæ fuerunt, nunquam post mutationem proli gignendæ aptitudinem habuisse compertum est.

Sed ad Hippocratem revertamur. Narrat hic affectum præter naturam,

curam, nempe menstruorum defectum, quem curare voluit, omniaque machinamenta adhibuit, ut menstrua provocarentur, quod cùm assequi non potuerit fœminæ ad interitum productæ fuerunt. Inter symptomata verò quæ ad menstruorum defectum fuerunt consequuta, unum fuit articulorum rubores, & dolores, sanguine videlicet præter naturam retento ad illas partes inclinante: quippe mulieres (ut ait Hippocrates) podagra non laborant nisi menstrua defecerint, alterum hispiditas, barba & vocis mutatio, quæ omnia evenerunt propter excrementosam materiam, quæ si singulis mensibus evacuaretur, corpus relinqueret expurgatum, ac proinde in sua naturali temperie & in suo habitu naturali, quoniam verò retenta fuit & temperamentum præ multitudine calidum & habitum præ pravitate squalidum reddidit.

Sed offert se ambigendi ratio, nam si menstrua purgatio proveniens efficit, ut corpus purgatum læve glabrumque conservetur, & eadem deficiens idem reddat hispidum, & pilosum; cur spadones, quibus menstrua nulla fluunt, habitu lævi, glabroque sunt, non minus quam mulieres? sane glabrities, & lævor non debent referri ad menstrua, siquidem spadones sine menstruis glabri sunt, & læves. Hunc nodum non est difficile solvere: nam eunuchi sunt fœminis frigidiores: fœminæ enim suos saltem habent testes, eunuchi nullos: sunt tamen magis exercitati, quia cùm mulieres non sint, virilibus se negotiis immiscent, ob maiorem ergo frigiditatem minus sanguinis generant, ob majus verò exercitium, plus discutiunt. Hinc accidit ut eunuchis nulla adsit menstruorum necessitas. At menstrua per se sola non sunt quæ barbam tollunt, sed præcipuè illud ipsum temperamentum quod menstruorum necessitatem affert, tollit barbam: quoniam igitur eunuchi habent quidem temperamentũ muliebre, sed ob duas causas prædictas carent necessitate menstruorum, fit & careant barba ratione temperamenti, careant menstruis ob rationes prædictas.

Sed adhuc interrogabitis, cur si menstrua non tollunt barbam, ex menstruorum defectu barba his mulieribus fuit nata? quia licet menstrua evacuatio non fit per se solam causa glabritiei, & hujus evacuationis privatio, causa hispiditatis, nihilominus reliquis causis accedens, aliquid præstat. Etenim causa pilorum, ut diximus, est fuligo, & hæc ex sanguine excalfacto nascitur, sanguis verò huiusmodi propter menstruas evacuationes deest, & glabrities augetur. Si desint menstrua, abundat, & hispiditas crescit. Ergo sanguis qui retinetur in corpore propter menstrua cohibita fit materia barbæ, non igitur omnibus quibus hæc materia adest barba oritur, nisi iis quibus simul adest etiam causa efficiens: credibile

dibile autem eſt has mulieres habuiſſe naturam muliebrem, & ſanguinis proprietatem virili proximam. Quoniam igitur contigit eas ſanguine redundare ob retenta menſtrua & virili proximum habere calorem, ex hypotheſi eventus fuit qualem Hippocrates narrat, rariſſimus quidem, & eo rarior (ut idem Hippocrates narrat) quòd mulieres fuerant ante fæcundæ, quod ille ipſe notavit, nam viragines non ſolent eſſe fæcundæ, ut ſuperius diximus, & in illis, utpote calidioribus, minus mirabilis fuiſſet barbæ proventus.

Itaque mulieres iſtæ natura calidæ, & naturæ ad virilitatem inclinantis indigebant viro ut conciperent, & fætui ſanguinem præſtarent, & lochiis purgarentur. Verùm ob maritorum abſentiam non ſolum hæc defuerant, ſed menſtrua etiam ceſſarant: quippe coitus menſtrua aſſuetæ, poteſt has purgationes pigras reddere: has ob cauſas & materia abundavit, nempe ſanguis retentus, & efficiens vigorem auxit, nempe calor nullis evacuationibus diminutus, ſed auctus, quare efficiens vigoroſum in materia abundante ſuum produxit effectum, hoc eſt, hiſpiditatem, & barbam, dilatatioque vocis etiam vocem virilem.

Vehemens fuit cauſa quæ nullis medicamentis à magno Hippocrate (ut credibile eſt) adhibitis, & ab aliis etiam Medicis (ut ipſe refert) excogitatis potuit ſuperari: quapropter & renitentis mali vi, & morbi magnitudine, quæ illas quàm potuit, longiſſimè à propria natura deduxit, mortuæ ſunt. Hinc conſtat Hippocratem hos duos caſus, tamquam duarum ægrotantium narraſſe, neque ei in mentem veniſſe ſexuum transmutationem, quàm inde aliqui volunt extrahere.

Examinantur hiſtoriæ quibus aliqui ſibi perſuadent poſſibilem eſſe ſexuum mutationem.

INter varia prodigia quæ contigiſſe Q. Fabio Maximo & M. Claudio
Tit. Liv. Marcello Conſulibus narrat Livius, unum eſt, *ex muliere ſpoleti virum fa-*
dec. 3. l. 4. *ctum.* Plinius *ex fæminis*, ait, *mutari in mares non eſt fabuloſum*, & ſe in anna-
pag. apud me 85. libus inveniſſe teſtatur P. Licinio Craſſo, C. Caſſio Longino Coſſ. Caſſini
Plin. l. 7. c. 4 puerum factum ex virgine ſub parentibus, juſſuque Aruſpicum deportatam in inſulam deſertam. Adjungit ex relatu Lucinii viſum à ſe Argis Areſcontem, cui nomen Areſcuſæ fuiſſet, nupſiſſe etiam, mox barbam, & virilitatem proveniſſe, uxoremque duxiſſe. Ejusdem ſortis & Smyrtiæ puerum à ſe mutatum in marem nuptiarum die L. Coſſicium civem Tiſolvitanum. Apud Amatum Luſitanum non diſſimilis hiſtora legi-

tur,

tur, in oppido Lignetra novem Leucis à Conimbrica nobili apud Lusitanos civitate; puella quædam genere nobilis erat, cui nomen (si rectè teneo) Maria Pacheca erat: quæ cùm ad ætatem pervenisset, in qua mulieres menstrua primum emittere solent, vice mensium priapum usque ad id tempus intus latitantem ejecit. Et sic ex fœmina factus est masculus, & virili toga indutus, ad sacra aqua respersus Manuel fuit vocatus, qui a 1 Indos perveniens, & dives ac clarus factus, postea ad suos rediit, & uxorem duxit: sed an liberos genuerit, non satis compertum habet. Conscii tamen sumus imberbem hunc semper mansisse. Ludovicus Guarna seu Quarna quidam habuit prolem, ex qua duæ sorores Francisca & Carola nominibus futurum eventum augurantibus in mares conversæ Franciscus, & Carolus fuerunt.

Hos omnes eventus dubito an exactè fuerint considerati, existimo enim eas quæ pro fæminis habebantur, masculos quidem etiam tunc fuisse, verùm præ naturæ inertia partes viriles habuisse intus reclusas quæ postea augmento caloris egressæ, verum sexum monstrarunt. Persuadeor ut ita credam, quoniam Amatus Lusitanus ait priapum exiisse, qui prius latitabat, vera fæmina non erat, quippe (ut superius diximus) penis virilis valde dissimilis est à muliebri: virilis cavitatem habet amplam, muliebris nullam: sic Myrrhæ in Phænicia, sic mulieri, quæ referente Cardinale Volaterrano, ea nocte qua in thalamum itura erat, inter choreas & cantus saltationesque derepente in virum fuit versa, latebant virilia quæ satis occasione saltationum atque etiam tentigine ob futurum concubitum, potuerunt foras egredi.

Sunt tamen aliæ historiæ, quæ excusationem non patiuntur, quippe aliquæ mulieres fuerunt, quæ postquam per aliquot annos viris in matrimonio conjunctæ vixerunt, in viros fuerunt mutatæ. Narrat Pontanus mulierculam Cajetanam quæ per 14. annos cum marito piscatore vixit, & de repente vir facta est. Idem contigit Æmiliæ conjugi Antonii spensæ civis Ebulani, anno 12. postquam nupserat, sexu mutato uxorem duxit & filios habuit orta autem cum marito lite de restituenda dote Marius Aquosa jussu regis Ferdinandi Neapolitani soluta controversia restitutioni prospexit. Hic potest latere dolus, quippe Androgyni, naturæ vitium occultantes sub fæmineo sexu vixerunt, postea tædio hujus concubitus affectæ se viros esse professæ sunt. Sed quid dicemus ad aliam cujus historiam nobis Antonius Botus narrat: quippe post partum abiit in virum nunquid non erat vera fæmina quæ peperit. Dupliciter respondeo, vel enim erat Androgyna & potuit parere, neque enim est præter rationem posse hermaphroditos & in aliis & in se ipsis generare. Montanus scribit se novisse hermaphroditum qui sexus muliebris putabatur, viroque nupserat, cui filios aliquot & filias peperit, nihil- *Lectio 10.* *Montanus de medic. theor. l. 1. c. 6*

ominus ancillulas comprimere, & in his generare solebat. Narrat præterea VVenrichius in Scotiæ urbe quadam ancillam Androgynam, herilem filiam in eodem lecto cubantem fecisse gravidam, accusatam facti, & vivam sub terra defossam periisse: multas alias similes historias reperietis apud Sckenchium inter quas celebris est illa puellæ, quæ nuptiarum die ventris dolore repentino fuit correpta, quarta tandem die apparentibus virilibus dolor cessavit, & illa in virum mutata est, alios item casus his similes narrat, sed quis dubitat posse Androgynum naturaliter alterum habere sexum manifestum, nempe fæmineum alterum videlicet virilem occultum? Sckenckius quidem has inter Androgynos recenset, & verè meo quidem judicio.

Wenrich. de monstris.

Sckench. observ. lib. 4. pag. apud me 575.

Vel dicendum est potuisse post partum carnem adnatam specimen virilis membri referre: adnascitur enim nonnullis post partum caro. Est & morbus quem meminit Avicenna, inquiens, quandoque oritur in ore matricis caro addita, & quandoque apparet super mulierem res, quæ est sicut virga commovens sub coitu, sed quoniam non solùm his omnibus historiis non esse fidem habendam dixi, sed addidi omnino impossibilem esse (physicè loquendo, hoc est, seclusa divina potestate) hanc mutationem, id breviter demonstrabo, quamvis apud me non levem demonstrationis vim habet, id quod superius manet pertractatum circa diversitatem membrorum virilium à mulieribus. Addo nunc ex Aristotele contrarium fæminæ mas est, cumque primo generabatur infans & præ caloris inopia non potuit eò devenire ut fieret mas, necesse fuit deferri in aliud: omnis autem delatio est in contrarium ac proinde in fæminam delatio facta est. Hoc sic admittamus in prima generatione: sed fæmina jam suis numeris absoluta quomodo amplius deducetur ad suum contrarium, nempe ad marem? non quidem operantem contrario, & contrarium sibi simile faciente: nam tunc cum fæmina fit masculus, non adest: non à seipsa (velut aqua calida per se ipsam recuperat frigiditatem) nam in aqua prius fuit frigiditas, quæ potest recuperari, at in fæmina nunquam fuit virilitas. Deinde etiam quicquid reducitur ad suam propriam naturam, reducitur à sua forma substantiali, at vir & mulier, cùm sint sub una & eadem specie infima, unam & eandem habent formam substantialem, quæ cùm sit indifferens ad marem & fæminam, non poterit magis in hanc quàm in illam partem inclinare. Nec dicendum est fæminam, quia est ex Aristotele mas læsus & imperfectus, tendere suapte natura ad suam perfectionem; hoc enim ut fiat, esse aliquid oportet à quo extolli possit & adjuvari, quæram ergo à quo adjuvatur,

Avicen. Fen. 21. l. 3. tract. 4. c. 22


4. gener. animal. c. 1.

tur, ut sexum masculum consequatur? non potest esse aliud nisi calor. At cur calor in primo exortu non potuit fœtum adjuvare & nunc potest? forsitan responderet Vallesius calorem nunc esse auctum ab exercitiis & victu calido: sed calor omnis dilatat, & per dilatationem (maximè in iis partibus in quibus humiditas abundat) concavitates claudi nequeunt, relinquuntur ergo aperta capacitas, ubi erat uterus, & sic remanebit Hermaphroditus non verò purus vir. Accedit quod calor non potest membra virilia efformare, quippe teste Galeno, organizatio partium non provenit à calore, aut aliqua ex primis qualitatibus, sed ab alia superiore facultate, nempe formatrice. Cùm ergo in partibus constituentibus sexum sit diversa organizatio, non potest hæc mutatio sexuum procedere à calore. Galenus responderet, non dari novam organizationem, quippe genitalia virilia jam antea erant solo situ differentia. Sed nos satis superque probavimus superius eum in hoc fuisse deceptum, quamvis autem in reliquis ei hæc opinio admitteretur, undenam colligeret posse calorem efficere ut penis fistuletur & visicæ adjungatur? Hæc videntur sufficere ad excludendam metamorphosim quam aliqui aut ob nimiam credulitatem, aut ob levem contemplationem admittunt. Neque verò à brutis animantibus (ut hoc quoque non taceam) similitudo ducta probanda est: quare cùm Elianus hyænam nobis proponens, quàm uno sexu marem altero fæminam videre licet, adjungat illos veteres Cæneum, & Tiresiam non ostentatione verborum, sed rebus ipsis exprimere & declarare hoc animal, dupliciter peccat, & quod duos illos perinde ac si veri & non fabulosi fuerint adducit, & quod hyænæ exemplo utitur ad probandum humanam speciem ejusdem esse conditionis.

lib. 1. de animal c. 25.

Caneus Neptuni beneficio ex puella vir factus, et praterea invulnerabilis. fabulosa historia est, refertur à Cal. Rhodig. l. 21. c. 16. vid. Ovid. metam. IX.

DISPV-



DISPVTATIO QVINTA.

An sanguis menstruus sit omnino necessaria materia ad generationem fœtus.



ALiqui ex iis qui fœmineum semen admittunt, ita se gerunt, ut illud prorsus necessarium esse negent. Hinc est quod facile solvant quæstionem cur mulieres aliquando sine oblectatione concipiant: quippe concipiunt tunc temporis sine seminis effusione. Cæterum si perpetuum non est fœminas semen emittere cùm concipiunt, potestque sine semine fieri generatio, præstiterat illud omnino negare, quàm aliquando admittere. Frustra enim fit per plura quod per pauciora æquè bene præstari potest. Nec est cur dicamus non fieri generationem æquè bene sine semine fœmineo, sed tamen fieri, unde inferunt semen fœmineum non esse necessarium ad esse, sed ad bene esse duntaxat. Non satisfacit, inquam, hæc responsio: nam si generationem imperfectam sine semine fœmineo fieri posse dicamus, etiam sine masculino fieri posse ostendunt ova subventanea, neque aliter potest fœmineum semen non esse necessarium, nisi quia semper masculinum semen superat, ac proinde potest sine fœmineo agere: itaque necessitas utriusque seminis satis manet superius demonstrata.

Vt autem omne id quod confert fœmina ad generationem, perpendamus, supponendum est ex dictis conferre uteri qualitatem, qua jam diximus præditum esse ut adjuvet reductionem seminis de potentia ad actum: supponendum rursus est conferre necessariò semen, restatq; duntaxat inquirendum an sanguinem menstruum, quem confert, necessariò conferat, an possit mulier absque sanguine menstruo concipere & fœtum in utero alere. Sine profusione quidem sanguinis jam memini me dixisse experimento esse comprobatum, & ab Aristotele traditum posse mulierem, cui nunquam menstrua fluxerunt, concipere: quippe licet sanguis non adeo redundet ut foras effluat, attamen tantus est ut possit in vulva contentus & formationi & alitioni fœtus inservire.

Omnes

Omnes quos mihi contigit videre autores tenent cum Galeno menſtrua in eum finem ordinata fuiſſe à natura, ut proli inſerviant, ſolus Valverdius contrarium exiſtimavit, ea fretus ratione, quòd mulieres non paucæ, quibus menſtrua nunquam fluxerunt, concipiant. At falsò, non paucas, dixit, aliquas concedit philoſophus, ait, tamen *conceptus mulieribus à profluvio, & quæ iis carent, ſteriles, magna ex parte, exiſtunt. Verùm fieri poteſt, ut aliquæ etiam ſine eorum profluvio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum iis quæ purgantur reſtare ſolet, quamquam non tanta copia, ut & foras poſſint profluere.* hoc idem reperit 1. *generat. animal. c.* 19. Hinc colligitur fruſtra Valverdium, ex eo quod aliquæ quibus profluvium ſanguinis deeſt, concipiant, colligere menſtruum ſanguinem non eſſe neceſſarium conceptionis. eſt enim neceſſarius ſanguis qui intra uterum colligitur, tantus ſcilicet quantus intus reſtare ſolet, iis quæ profluvium ſingulis menſibus habent.

Lib. 3. c. 17. ſua Anat.

Affert aliam rationem, nempe, nullum prope aliorum animalium purgationes hujuſmodi pati, & tamen perinde ac mulierem, & plerumque fœcundius concipere. Cæterum ſi Ariſtoteli fides habenda eſt, fæminis omnibus in viviparo genere menſtrua profluunt, & omnium apertiſſimè in muliere. Et alibi omnium fæminarum maximè mulier ſanguine abundat & quæ menſtrua vocamus, plurima fieri in mulieribus ſolent. Quaſi dicat, in omni genere animalium fæminis fiunt menſtrua, ſed mulieribus magis tum quia ſedentariam vitam agunt, tum quia humanæ ſpeciei temperamentum præ reliquis ſanguineum eſt, cibiſq; plurimùm ſanguinem gignentibus utitur, ac denique, quia reliquis animalibus plurimum excrementum in pilos, ſquammas, ungues & cætera hujuſcemodi abit. Non igitur eſt recta argumentatio brutorum fæminæ non habent menſtrua conſpicua, ergo non habent menſtrua.

1. gener. c. 19.

Ariſt. lib. 3. hiſt c. 29. A. lib. 6. hiſt. c. 19.

nulli equæ ac mulieri. an bruta etjam purgationes menſtruas habeant tractat Mundinus de genitura P. 1. c. 2.

Tertio argumentatur quia menſtruus ſanguis uſque adeo corruptus excernitur ut non fœtui duntaxat adeo delicato ac molli, ſed cui vis etiam bruto ipſum deguſtanti necando ſufficere poſſit. Verùm Galenus huic objectioni occurrit, ait namque mulieris ſanguinem ad ſe fœtus nutrimenti cauſa alliciens, reliquensque deteriorem, cauſa eſt ut prægnantes pravis humoribus impleantur, quos à partu evacuat natura.

3 epid. ſect. 3. ægrot. 2. com. 73.

Concludit iſte inquiens menſtruæ mulierum purgationes ex humida potius earum conſtitutione, & ocioſa, quam ducunt, vita, quàm ex ulla nutriendorum liberorum neceſſitate proficiſcuntur. Melius fuiſſet Valverdio, ut intra limites ſuæ anatomiæ, quam cum honore profeſſus eſt, ſe contineret, quàm ut ad rerum cauſas indagandas ſe converteret. Oſtendit enim ſe neſcire quid interſit inter cauſam efficientem

Sanguinem menſtruum duplicè facit Mundinus purum & impurũ Pag 3. part. 1. c. 16.

tem & finalem. Tametsi enim ad naturæ providentiam omnia referenda sint, causa tamen finalis hoc habet, ut naturam auctorem immediatè habeat: hæc natura media acquirendo fini accommodata instituit, media hæc nobis causa efficiens exhibet. Itaque fatemur ex frigiditate humiditateque mulieris, ex vita item ociosa tamquam ex efficiente procedere ut fiant menses, hoc tamen non impedit quominus fiant ad aliquem finem. Quem agnovit Galenus, agnovit prius Aristoteles, apud quem passim invenietis fæminam præbere materiam in generatione prolis. Cùm ergo apud illum fæmina non conferat mentem, necesse est ut materiæ nomine sanguinem intelligat, sanguinem inquam menstruum, qui propterea in gravidis retinetur, ut & nutrimento fœtus in utero existentis inserviat, & edito in lucem infanti in lac conversus nutrimento esse possit.

14. de usu p. c. 6.

Hanc ille sibi oponit objectionem, videlicet mulieres prægnantes, & lactantes menstruis destitui, quia materno sanguine infans enutritur; sed eam non solvit, ut unusquisque apud ipsum videre potest: neque verò quia aliquæ nutrices, etiam quo tempore suos infantes lactant, menstruas purgationes singulis mensibus patiuntur, existimare oportet lac non fieri ex sanguine mènstruo: fit quidem ex puriore ejus parte, sicut ex puriore parte fœtus in utero alebatur, quod si superest tanta quantitas quæ profluvium postulat, purgantur; sin parva ad suum tempus sine noxa servatur. Hanc sequestrandi, & reponendi curam per doctrinam quamdam innatam, quæ in aliis rebus multis sine doctore mirabiliter operatur fieri posse, non est impossibile.

An menstrua purgatio sit evacuatio secundùm naturam.

INter plura, quæ diximus fæmineo sexui esse peculiaria, non verò communia cum virili, unum est menstrua purgatio, fæmineo, inquam sexui cujuscumque speciei: nam Aristoteles fæminis omnibus excrementa fieri necessarium duxit, sed sanguineis amplius, mulieribus plurimum: hæc quidem purgatio cæteris fit (teste eodem) nulli tamen quantum mulieri, minus enim equæ, & adhuc minus vaccæ. Cur autem in specie humana copiosiora fiant menstrua, ratio est, quoniam homo temperamentum sanguini gignendo aptissimum obtinet, nempe optimum, & cibis vescitur multum sanguinem gignentibus. Cur fæmineo sexui sit peculiaris purgatio causam tum efficientem, tum finalem superius insinuavimus.

2. gener. animal. c. 4.

6. hist. c. 18.

vimus. Efficiens namque est temperamentum frigidum, potius parum calidum & vita sedentaria. Finalis autem, ut materia adsit generandæ augendæque soboli. Vtraque harum causarum postmodo discutienda est. Nunc autem supponentes ex Aristotelis sententia exprofesso nobis traditā menstrua esse excrementum, inquirendum proponimus num naturaliter an præter naturam eveniat. *1. gen. anim. c. 19.*

Argumenta quæ persuadere videntur menstrua purgationem esse præter naturam.

PRima ratio ad monstrandum evacuationem quæ mulieribus uno quoque mense accidit, non esse secundùm naturam, sumitur à materiæ bonitate: quippe sanguis est humor, ut Galenus ait, supra alios omnes familiarissimus, adeo ut Hippocrates insuper purgationibus dicat hunc quoad fieri potest, à natura retineri & non nisi ultimo loco exire. Cùm ergo menstrua evacuatio sit evacuatio sanguinis, evacuationem verò sanguinis Galenus toto genere præter naturam appellet, non est dicendum eam posse unquam inter naturales recenseri: quippe per eam id excernitur, quod secundum naturam consistere, & in vasis contineri debebat, quod denique maximo naturæ usui esset: quare sanguis quando evacuatur (ut barbari solent dicere) relinquitur à regimine. *Gal. in Hip. de nat. hum. com. 3. Hipp. ibidem*

Deinde ex parte causæ efficientis. Nam sanguinem à moderato calore fieri dixit Galenus non semel: cùm ergo fæmina sit naturali temperamento frigida, hoc est lapsa ad frigiditatem, non potest sanguinis redundantiam gignere. Accedit quòd Galenus in arte medicinali sanguinis excessum affert pro signo jecoris calidi, at jecur eodem Galeno teste nisi cor obstiterit temperamentum universo corpori largitur. Stat ergo ordo sit, si multum sanguinis gignit fæmina, utique calido est jecore, si jecur habet calidum, similiter universi corporis temperamentum calidum obtinet, quod tamen est oppositum iis quæ superiùs communi consensu resolvimus. *2. natur. facult. c. 8. c. 9. De caus. morb. c. 4. de tum. præternat. c. 2. Art. med. c. 4.*

Tertio ex parte finis. Causa enim finalis à nobis jam superiùs dicta, à Galeno verò non semel tradita, cur mulieri fiant menses, est materia quæ suppeditatur ad formationem & incrementum fœtus. At sine menstrua purgatione potest fœtus in utero generari, & augeri, unde philosophus agens de menstruis, *quæ iis carent*, inquit, *steriles magna ex parte existunt. Verùm fieri potest, ut aliquæ etiam sine eorum profluvio concipiant: videlicet, quibus tantum humoris colligitur, quantum iis quæ purgantur restare solet,* *Arist. lib. 7. hist. c. 2.*

quamquam non tanta copia, ut & foras posſint profluere. Sic Ariſtoteles. Si ergo ſine profluvio ſanguinis mulier concipit, jam fateri tenemur menſtruas purgationes non eſſe neceſſarias. Accedit quòd id quod ſecundùm naturam eſt, ſi deſit, corpus remanet affectum præter naturam: ſed ex prædicta Ariſtotelis ſententia conſtat poſſe fœminas menſtruis carere, & nihil præter naturam pati: ſterilitas enim quam ſequi, ait, non eſt perpetua, ideo adjungit, *magna ex parte*, oſtendens id non eſſe perpetuum. Præterea jam ſuperius ex Antonii Muſæ relatu diximus reperiri mulieres quibus nunquam menſes fluxerunt & tamen concipiunt & pariunt. Nec ſolum hoc accidit ruſticanis, quas ille, ſe vidiſſe narrat, ſed aliis honeſtiore loco natis. Ego plena fide teſtari poſſum nobiliſſimam Florentinam uxorem Illuſtriſſimi equitis de Nobilibus, cui nunquam menſtrua apparuerunt, duas peperiſſe filias, quæ patritiis florentinis collocatæ vivant. & prolem habent numeroſam.

Quarto ex modo, quo fluunt menſes: anaſtomoſis quippe eſt apertis venis quæ deſinunt in ſinum uteri, & referto prius utero, unde Galenus ait purgationem iſtam eſſe quaſi quoddam plenitudinis remedium. Nec valet ſi reſpondeatur eſſe quidem remedium inſtitutum à natura morborum medicatrice, & ſic eſſe ſecundùm naturam. Non, inquam, valet: nam multæ ſunt evacuationes criticæ quæ morbos ſanant, & naturæ ope fiunt, nec tamen propterea dicuntur evacuationes naturales, ut fluxus ſanguinis è naribus, ſudor copioſus decretoriè eveniens, atque etiam abſceſſus, qui per decubitum morbificam cauſam tollunt.

Quinto ex venenoſitate excreti: eſt enim pernicioſum venenum, quod tametſi utiliter è corpore, educatur, non poteſt tamen dici excretum ſecundùm naturam, ſed quod ad cauſam pravam ſequitur: quippe excretio naturalis ſequitur ad coctionem, ſeparat ſcilicet per coctionem utili ab inutili. Accedit quòd ut ſit excrementum, deberet eſſe alicujus coctionis: non eſt primæ, nam iſtius ſunt feces, quæ per inteſtina evacuantur; non ſecundæ hæc enim excrementitios humores utramque videlicet bilem ad ſua conceptacula transmittit, lienem & cyſtin fellis, & ſerum per emulgentes ad renes & veſicam. Non tertiæ, quoniam tertiæ coctionis excreta per inſenſilem tranſpirationem abeunt: quare ſanguis iſte menſtruus nullum inter excrementa locum habet,

Controverſiæ reſolutio.

CVm ſecundùm naturam multis modis aliquid eſſe dicatur (quod in præſenti percurrere tædioſum valde eſſet) cum menſtruam purgationem

tionem secundum naturam esse dicimus, dupliciter hoc assumendum censemus, in primis naturaliter fluunt menses, sequuntur ad opera naturæ: quemadmodum enim ad opera naturæ, hoc est ad actionem calidi in humidum, sequuntur senectus, & mors, quorum utrumque naturale appellatur, sic ad actionem naturæ se ponentis id quod fæmina non digessit, in utero parte huic muneri dicata sequitur expultricis facultatis operatio. Altero modo quoniam sequitur præscriptum naturæ ordinem naturalis esse dicitur: Naturæ autem ordo in duobus spectatur: in ætate huic evacuationi dicata: est namque certa ætas, ut videbimus in qua incipiunt menstrua, certa in qua desinunt. deinde etiam in temporis intervallo, quod habent istæ purgationes.

Quænam sit menstruis purgantibus ætas dicata.

Eadem ætas, (ut habemus ex Aristotele) est qua maribus semen fieri, secernique incidit, atque ea qua fæminis menstrua erumpunt. Maribus autem incipit semen gigni anno ætatis decimoquarto, quod etiam ex Aristotele addiscimus dicente, *Mas autem primum semen genitale, magna ex parte incipit ferre, anno peracto bis septimo: simul etiam pubescere incipit eo tempore, ut stirpes semen laturas primum florere Alcmeon crotoniata ait.*

1. gen an. c. 19.

7. hist. c. 1.

Itaque quo tempore mares semen emittunt fæminis eveniunt menstrua: signum verò quod menstruorum ætas adsit, est quoniam per id tempus eis exurgunt ubera, quod fratrare dicitur, & quæ menstrua vocantur erumpunt, quod sanguis quasi recens occisi animalis est: quæ autem alba dicuntur admodum etiam puellis eveniunt, & magis si cibo utuntur humidiore. Hæc incrementum impediunt corporis, & puellam extenuant, Sed menses tunc plurimis fiunt, cùm jam ubera ad duos digitos prominent & vox eo tempore puellarum mutatur in graviorem. Hæc ex Aristotele decerpta sunt: sed cur vox tempore quo erumpunt menses fit gravior, si ex suppressione menstruorum vocem asperam factã fuisse narrat Hippocrates superius citatus.

Aliud quidem est vocem fieri graviorem, aliud asperam: quippe gravi opponitur acutum, aspero lene. Mulieri igitur ex defectu menstruorum excrementa in corpore abundant, quorum aliqua pars decidens è capite per asperam arteriam fistulæ cavitatem reddit inæqualem, ac proinde editur sonus inæqualis, seu asper, qualem etiam reddunt pueri cum hircire incipiunt, & maximè si Venere utantur. Vox autem lenis

nis fit cùm cavitas asperæ arteriæ ab omni excremento est expurgata. Vox acuta fit propter fistulam exilem, unde pueri acutam habent vocem, postquam autem dilatatur in augmento ætatis, non fit magis sonora ac gravis, cùm autem mulieres suapte natura, seu ratione temperamenti fistulam habent angustiorem, fit ut puellæ pueris, & mulieres viris acutiorem vocem habeant, unde Aristoteles, *cùm mulier vocis acutioris quàm vir sit, tum natu minores acutius quàm maiores sonant, ut & pueri quàm viri acutius. Sed vox fæminæ acutior est quàm maris, & fistula puellarum acutior quàm puerorum est.*

Itaque decimusquartus annus est ætas in qua ut plurimum incipiunt menstrua apparere, dico ut plurimum, quoniam aliquibus anticipant fluere, nempe anno duodecimo, nihilominus hoc rarum est, rarissimum quod scribit Savanarola quandam fuisse, quæ nono anno purgari cœpit, & prægnans est facta. Hercules Saxonia aliam novit annum quintum agentem, singulis mensibus modicè tamen, expurgatam. Cæterum quemadmodum decimus quartus annus est quo menstrua, ut plurimum incipiunt, sic quinquagesimus, quo ut plurimum desinunt: dico ut plurimum, quoniam aliquæ narrantur, quæ ulterius progressæ sunt, inter quas admiratione valde magna mihi videtur digna illa quam Solenander anno 101. menses recipisse ordine fluentes, magna commoditate naturæ ut valetudinis. Retinuit istum ordinatum fluxum usque ad annum 103. quo anno proflux bus hisce tentata occubuit.

Solenand. sect. 5. cons. 15. n. 41.

Si quis verò quærat cur non statim à primo exortu menstrua adveniant, nec postea per omnes ætates comitentur ad mortem. Respondeo in primis duobus septeniis calor adeo viget, ut omne superfluum absumat, nec sinat aliquid residuum seponi, quod per intervalla temporis excernatur. Dehinc autem calor incipit remitti, ac propterea & materia superfluit & à natura expellitur. Post quinquagesimum verò annum vetulę fiunt pituitosæ, nec possunt præ imbecillitate caloris sanguinem conficere, nec expultrix adeo est valida ut materiam expellere valeat, nec natura ita sui compos, ut statas reversiones præscripto ordine queat servare.

Lect. 11.

Cur singulis mensibus eveniant.

HVic quæsito finalem & efficientem assignare operæ pretium erit, & quod ad finalem attinet, optimè à natura provisum est, ut evacuatio isthæc non sicut reliquæ singulis diebus fiat, sed intervallo triginta dierum propter usum Veneris, & generationis necessitatem: si namque quotidie

quotidie evacuatio fieret fædus esset concubitus, ac propterea humidus uterus semen corrumperet, juxta illud Hippocratis, quæ præ humidos habent uteros non concipiunt, extinguitur enim in iis genitura, & Aristoteles negat semen esse genitale, si humidus sit uterus. *5. aphr. 62.* *7. hist. c. 2.*

Sed relicta causa finali ad efficientem deveniamus, quã quoad fieri potest semper quærere est necessarium. Videtur ergo sensus illarum partium à quibus menstrua emandantur, non qualibet causa irritari, sed certa quadam quantitate propterea licet quotidie sanguinis aliquid acervetur, non tamen sufficit ad irritandam facultatem expultricem nisi postquam ad eam quantitatem perventum est, quæ illi proportionetur. Si verò quæratis cur facultas irritetur, quotidie ad expulsionem aliorum excrementorum, non tamen istius: respondendum in primis est hoc excrementum esse sanguinem, qui magis quantitate sua, quàm qualitate irritat, deinde recurrendum est ad ordinem naturæ rebus omnibus consulentis: quare & vires expultricis facultatis & irritamentum excrementi ita commensuravit ut unumquodque eo tempore ad sui expulsionem naturam excitet, quo maximè conveniens sit, est autem maximè conveniens, sicut jam diximus uterum non frequenti aspersione humiditas plus æquo humectari.

Aristoteles respicit ad lunam, aitque profluvium mensium decrescente luna contingere: quam ob rem nonnulli cavillo sexum fæmineũ lunæ tribuunt, quoniam simul ut illa decrescat, & mulier purgetur, moxque explcantur ambæ. Porrò decrescentis lunæ tempus est totũ illud in quo ab oppositione cum sole, (plenilunium vocant) progreditur ad conjunctionem cum eodem, quæ novilunium appellari solet, præcipuè verò ipsum coitus tempus. Hoc autem ita intelligere oportet ut sic frequentius eveniat: nam ut Avicenna ait, *plus accidit de menstruis in principio mensis* (hoc est in coitu lunæ cũ sole hinc enim mensis incipit) & in medio: hoc est in plenilunio: quasi dicat minus in lunæ medio quando plena est, aut quando ad plenitudinem progreditur. Quare meritò ab Aristotele est dictum menstrua nullo circuitu certo describi. quibusdam ex Aëtio & Avicenna intersunt ad minus dies 22. ad summum 30. sed inter hos terminos inveniuntur aliquæ quibus intercedunt 25. dies, aliis 27. aliis 24. contingit autem hæc varietas propter varietatem temperamentorum, varietatem victus, varietatem etiam regionum; quippe his de causis fit varia humorum aggregatio, ad quam Averroes reducit omnes inordinationes. *7. hist. c. 2. & 2. gen. an. c. 4.* *Lib. 9. de animal. c. 1.* *2. gener. an. c. 4.*

Cæterum menstrua evacuatio dicitur, quoniam majori ex parte singulis mensibus eveniunt, & evacuationem ipsam menses appellamus. Neque Hippocrates aliter sentit qui in libro de natura pueri ait, *Primùm quidem sanguis in corpore singulis mensibus turbatur ab hujusmodi necessitate, quod* *de nat. pueri*

mensis

mensis à mense multum differt, & secundum frigiditatem, & caliditatem, atque hoc percipit mulieris corpus: humidius enim est quàm virile. Vbi autem turbatus est sanguis, & venas implevit ab ipso descendit qualis initio naturæ fuit. Advertendum tamen est quando Hippocrates ait, unum mensem ab alio differre, non intelligere differentiam unius mensis ab alio: nam hæc nõ efficit commotionem sanguinis, sed unam mensis partem ab alia, & calore & frigore differre. Juxta hanc doctrinam Averroes ait magna luminaria tempore conjunctionis, & oppositionis diversa esse inter se: quia quo tempore conjunguntur, tempus frigidius est, & hyeme assimilatur: tempus verò, quo opponuntur calidum est & ætati comparatur. Cùm autem Hippocrates ait menses mulieribus sanis singulis mensibus apparere, tamquam peculiarem vim in corporibus menses habeant, pro mensibus lunam intelligere oportet: quippe lunæ circuitus mense completur, sicut Solis anno.

In lib. 2. de gener. & corr. c. 4.

Sed nunquid luna potest efficere aerem calidum aut frigidum? minimè: nam luna quo tempore sub terras, atque adeo sub terrarum imam partem delata nobis omnino latet, non potest in nostrum hemispheriũ influere, quare nec frigiditatem nec calorem tunc aeri communicabit. Cùm autem nobis apparet, si suapte natura frigidum sidus est, quomodo nos calefaciet? At Aristoteles noctes in plenilunio tepediores esse ait propter lucem pleniorem, idemque etiam inquit alibi luna decrescente tempus frigidius esse & humidius propter lunæ decrementum defectionemque. Mercurialis existimat frigidum fieri aerem privativè, eò quòd aere nocturno existente ex se semper frigido, ubi luna lumine plena est, resistit frigiditati nocturnæ, ubi verò lumine spoliatur, cùm non possit resistere, dimittit aerem in suo frigore; atque dimittit corpora animalium omnibus aeris injuriis. Hanc doctrinam Ioanni Pico Mirandulano, Picus autem Mirandulanus Galeno acceptam referunt.

4. de part. c. 2.
4 gen. an. c. 2.
4. de morb. mul. c. 1.

Pic. Mir. cõtra Astrolog lib. 4 c. 6. Gal. 3. Decret. c. 2.

Cæterum libenter quærerem à Mercuriali, cur aer nocturnus defectu lunæ evadit frigidus? non existimo aliud posse respondere nisi aerem tunc, cùm deest à quo alteretur, esse in suo statu naturali ac proinde frigidum, atque ita ex Stoicorum mente loquetur, qui aeri frigiditatem tribuunt: cæterum habebit reclamantem peripateticorum scholam, quibus magis placet aeri tribuere caliditatem. At tum Mirandulanus, tum Galenus quem citat, non se huiuscemodi quæstioni immiscent, sed dicunt lumen lunæ esse participatum à sole, ac proinde tunc, cùm multum huius luminis participat, vehementiorem vim agendi habere: quapropter in plenilunio fruges adauget, maturatque celerrime, mortua corpora putrefacit, somnoque sopitis sub ejus lumine, vel aliter diutius im-

morantis

moratis paliorem, & capitis gravitatem conciliat: ut igitur luna ſolis au-
xilio in omnib⁹ indiget, ita ſol vel alterius cuiusdã aſtri, vel ipſius lunę o-
perã deſiderat. Quare ſub plenilunio apparent valentiores lunę actiones
factę à luminę ſolis, quòd tunc maximè participat: in novilunio autẽ non
quidem infrigidatur poſitivè aer, ſed (ut cum Mirandulo loquar) agit in
nos eo modo quo quis agit nihil agendo: nam deſtituens corpora ſuo
lumine, nocet illis, ſed eadem adoleſcens plenius alit, & ſucculentius
implet. Sunt ergo noctes in plenilunio tepidiores, in novilunio verò
non adeſt lumen à quo teporem accipiant: ſed cur idem Ariſtoteles men- *De gen. an.*
ſium, inquit, fines ſunt frigidiores quàm media? non me alterum ex ex- *c. 4.*
tremis, nempe plenilunium calidius eſt, ita eſt, & plenilunium appella-
tur medium, fines verò cum luna incipit & deſinit.

Cæterum adeſt adhuc dubitandi occaſio. Nam ſi luna plena ſuo
lumine omnia, quæ facere nata eſt, facit: inter quæ præcipuum eſt quod
menſtruorum ſtatutum tempus in mulieribus conſervat, tunc conchyliæ
augentur humidiora, fiunt omnia & impinguantur, qui fieri poteſt ut
commodius tempus menſtruationi ſit luna decreſcente? Reſpondeo u-
trumque poſſe eſſe verum: quippe in omnibus mutationibus lunæ, mu-
tationes etiam manifeſtæ in corporibus contingunt. Vnde Galenus ve-
hementiores, inquit, mutationes, eveniunt ubi luna cum ſole coit, inſu-
per in apparitionibus plenilunii: minores his contingunt dum dicho-
tomos, ſeu dimidia apparet. Hoc autem attribuendum eſt di-
verſitati ſubjectorum: nam quæ ſuapte natura exiles ſunt fæminæ ſicut
etiam ligna arida lunæ lumine impinguantur, & ad evacuationem fiunt
aptæ, quæ verò ſuapte natura ſunt plenæ conſtrictione à frigore facta
deſtillantur, quemadmodum catarrhos fieri dixit Galenus in frigoribus
cerebro veluti ſpongia manibus compreſſa, quare rectè dixit Ariſtotoles
non eſſe certum menſtruorum tempus, ſufficit quod ſpatio unius menſis,
vel circa ſuam adimpleant reverſionem.

Dicimus ſpatio menſis & tamen ridemus habere Ariſtotelem nobis *2. hiſt. c. 1.*
adverſantẽ qui paucas mulieres, inquit, ſingulis menſibus purgari, pluri-
mas vero tertio quoque menſe. Hæc profectò ſententia non ſolùm pa-
tri veritatis Hippocrati, ſed manifeſto etiam experimento contraria eſt,
& omnino falſa. Verùm tamen non eſt Ariſtotelis magni viri error, ſed
ejus interpretis Theodori Gazæ, quippe σωιχῶς tranſtulit quaſi dicatur
ſimpliciter purgari, cùm tamen verbum hoc ſignificet purgari acerva-
tim, ac proinde Ariſtoteles ait pancas ſingulis menſibus acervatim put-
gari, plurimas tertio quoque menſe quod ita aſſumendum eſſe colligi-
mus ex Plinio, qui ferè Ariſtotelem tranſtulit dum ait omnes mulieres *Pl. lib. 7. c.*

tricenis diebus purgari, sed largius tertio quoque mense. Hunc Gazæ errorem (ne quempiam sua defraudemus laude) Mercurialis vir eruditissimus detexit.

Si quæratis quot diebus duret hæc purgatio, respondet vobis Aristoteles, qui conceptionis indicia tradens ait, *si in septimum diem intus permanserit* (nempe genitura) *conceptum iam esse certum est: nam quæ effluxiones vocantur, intra tot numero dies fieri solent.* Ex hisce verbis constat fieri purgationes muliebres septem diebus, sed intelligite hoc longissimum spatium esse, nam plurimæ paucioribus diebus purgantur. Si verò quæratis quid habet commune retentio genituræ cũ expulsione menstruorum, ut possit ab uno ad aliud argumentum duci, & ex eo quòd mulier septem diebus purgatur, conveniens sit septem diebus retentũ semen jam non amplius elapsurum: profectò non video rationem aliam nisi voluisse Aristotelem septenarii numeri vires dignitatemque in omnibus commendare.

7. hist. an. c. 3.

12. Lectio.

Cæterum quod attinet ad numerum dierum quamvis ibi Aristoteles septem dierum spatium purgationi menstruæ præscribat, nihilominus is videtur esse longissimus terminus cum naturaliter in muliere sana profluunt: quippe ipsemet in capite præcedente dixerat, *facilius agitur cum his quibus brevi tempore, hoc est biduo, aut triduo profluunt, sed quibus in longum protrahitur, difficilius.* Hoc acceptum videtur ab Hippocrate in libro de octimestri partu, ubi ait tempus purgationum, quod brevissimum est triũ dierum esse, plerisque autem multo plurium. Verùm tamen contrarium habetur in libro de morbis mulierum, ubi duo aut tres dies ita præcisè assignantur, ut longius, aut brevius tempus morbosum & sterile sit. Hoc tamen aliqui intelligendum putant de muliere sana cui etiam quantitatẽ præscribit duarum hæminarum atticarum, hoc est circiter libram unam & dimidiam. Hoc autem dicunt fuisse verum tempore Hippocratis quando mulieres moderato victu utebantur, neque adeo erant ocio deditæ, ut nunc sunt: ita Albertinus Bottonius, ita Hieronymus Mercurialis.

Cap. 2.

Hip. de octimestr.

Hip. de morb mulier.

Bott. de morb. mul. c. 19. Merc. lib. de morb. mul. 4. c. 1.

Verum tamen si quis totam sententiam consideraret, alium inveniet esse horum verborum sensum: dixerat enim supra, prodeunt autem menses crassiores, & plurimi in intermediis diebus. Vt autem explicet naturalẽ quantitatẽ, & tempus illorum, quæ in prædictis intermediis diebus contingunt, ait, moderati sunt menses prodeuntes in omni muliere, si sana sit, ut duarũ hæminarũ, aut paulo plures, & pauciores, & ad duos, aut tres dies: sunt duæ hæminæ Atticæ unc. 18. dicente Gal. 5. *local. c. 6.* minam Atticam 9. unc. italicas continere. Atticas autem unc. 7. $\frac{1}{2}$ v. drach. 60. itaque non est sermo ibi de duratione totius menstruæ

purga-

purgationis, sed de impetu, & vigore ipsius, qui in illis diebus contingit. *De dissect. vulv. c. 10.*
Hæc expositio sapit doctrinam Galeni qui totum purgationis tempus divídit in tres partes, principium, medium, & finem, ita ut in medio confertim fluere ipse affirmavit.

Itaque quando Hippocrates ait mensium quantitatem duarum heminarum esse in muliere sana, tempus verò duorum aut trium dierum, longius verò aut brevius morbosum & sterile censeri, loquitur de diebus intermediis in quibus sanguis confertim fluit. fluere enim confertim ultra & circa duos aut tres dies, morbosum quidem est. Quando verò in *libr. de octimestri partu*, inquit, purgationis tempus esse tres dies, plerisq; autē multo plures loquitur de purgatione integra, & ideo omisit duos dies: quippe integra purgatio duorum dierum esse nequit, aliàs nullum haberet diem intermedium. Potest tamen aliquis prædictam distinctionem impugnare. Nam licet ratione constet menstruam purgationem esse in fine minorem, quàm in medio, & in principio, tamen maiorem esse in medio quàm in principio videtur à ratione alienum; quod ita demonstrare potest. huiusmodi excretio provenit à facultate expultrice, præcedente irritatione quantitatis, si bene se habeat corpus: cùm autem initio flexionis sit maior quantitas, maior etiam erit irritatio ac subinde major fluxio. Huic dubitationi facilè respondetur: si enim ad solā quantitatem irritantem respiciendum foret, utique bene procederet ratio. Verùm respicere etiam oportet ad vias, quæ cum in principio non sint admodum expeditæ, in medio autem ab humiditate jam relaxatæ, maiori fluxioni in medio occasio præstatur. Si quis verò dicat in fine esse magis relaxatas, quare in fine copiosior erit quàm in medio; respondeo in principio esse quantitatem, sed non dum expeditas, in medio utrumq; nempe quantitatem & viarum laxitatem, in fine laxitatem viarum, non tamen quantitatem, ac proinde in medio copiosiori fluxioni commoditas datur, quàm in principio, aut in fine.

Sed quid dicemus ad præcitatam Aristotelis autoritatem, qui ait, facilius agitur cum his, quibus brevi tempore hoc est biduo aut triduo profluunt, sed quibus in longum protrahitur, difficilius. Non erat ibi philosophi mens præscribere certum menstruationis tempus, sed agere de laboribus, quos mulier patitur, dum menstrua profluunt, quod indicant verba sequentia, nempe, *laborant enim in temporis: aliis namque universim hac purgatio fit, aliis paulatim. Attamen omnibus corpus gravatur quamdiu effluat humor.*

Non videtur autem consonum iis quæ dicta sunt, id quod in sacra pagina legitur. *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem die-* *Levit. c. 15. n. 19.*

bus separabitur. Vnde videtur non esse satis si tribus aut quatuor diebus menses fluant, si enim hoc tempus sufficeret, non erat cur per plures dies qui eam tetigisset, immundus foret. Diffusè admodum super hæc verba discurrit * Covarrubiensius, putatque superius dictum fuisse. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstrua,* & hinc infert septem dies esse numerum perfectum, quo completur purgatio. At oblitus fuit fætus fæminei: nam cum fætui masculo debeantur dies septem, juxta separationem menstruæ purgationis, quod indicant verba contextus: nimirum, *sin autem fæminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui.* Jam constat fluxum menstruum compleri non solum septem diebus, sed quatuordecim etiam; quod tempus secundum naturam esse debet.

* *Valles. de sacra philosoph. c. 18.*

Attamen oportet dicere tametsi fluxus possit compleri multò citius quàm diebus septem, nihilominus quoniam ad septimum potest naturaliter prorogari, ut omnis impuritatis secura reputaretur mulier, fuisse lege cautum ut tamquam impura per septem dies habeatur. Cæterum quoniam ex partu fæminæ multo plura supersunt lochia expellenda, quã ex partu masculi, & sic expostulat longius tempus ad puerperium ex fæmina, non sufficit tempus menstruæ purgationis simplex, iccirco accipitur duplum. Vnde licet dictum sit ex fæmina, duabus hebdomadibus mulierem immundam esse, juxta ritum separationis menstruæ intelligendum est numero dierum purgationis menstruæ duplicato, non quòd purgatio menstrua unquam naturaliter fluat duabus hebdomadibus, sed quod purgatio ex partu fæminæ duplum postulet spatium temporis.

1. de morb. mul. Jam verò purgatio à partu eius quæ masculũ pepererit in Hippocratis doctrina erit dierum triginta, ejus verò quæ fæminam quadrigitam duorum, juxta sacram legem quæ masculum quadraginta, quæ fæminam octoginta. Quæ differentia spectatur in eo quòd medicus considerans jam ultra illud tempus purgationem vel omnino deesse, vel non fieri irritantis naturæ vi, sed assuetudine quadam, iccirco ultra illos dies potest uti medicamentis quibus non uteretur intra præscriptum tempus. Lex autem respicit omnimodam puritatem & expectat donec prorsus adsit immundiciei suspicio.

23. Lectio.

An per uterum fiat naturaliter menstrua purgatio.

SI sanguis singulis mensibus evacuandus non flueret ad uterum, non fieret ibi generatio: quippe ejus usus est ut præstet materiam fætui gignendo, alimentumque jam genito: cùm ergo non posit alibi fieri generanera-

neratio, naturaliter illuc ſanguis confluit, ſi illuc naturaliter confluit,
naturaliter etiam dum ſuperfluus eſt, evacuatur. Poteſt tamen aliquis
dicere non eſſe ſecundùm naturæ ordinem ſuaviter omnia diſponentis ſe
ipſam cogere ad ſtatas illas evacuationes, cùm poſſet tantum ſanguinis
transmittere ad uterum, quantum ad fætus formationem alitionem-
que requiritur, unde quod ſuperfluit, non eſt dicendum naturaliter ad u-
terum transmitti. Accedit quòd (ut ex ſuperius dictis conſtat) tam ute-
rus quàm fæmina noxam ex hac evacuatione percipiunt: uterus quo-
niam humectatur pluſquam oportet, ac relaxatur, unde frequenter eve-
niunt aborſus, ruptis ſcilicet ligamentis, ob nimiam mollitiem mulie-
rum: quoniam mulier dum purgatur (ut Ariſtoteles animadvertit)
ſemper aliquantulum patitur. Reſpondemus naturam non duci in-
tellectu, ſed agere ad ultimum potentiæ: quare ſanguis quem ad uterum
transmittit eſt totus ille qui non poteſt digeri: Emittitur autem etiam
eo tempore quo mulier nondum concepit, quoniam cùm in toto corpo-
re accumuletur, doctrina quadam innata in eam partem decumbit, in
qua ſuo tempore neceſſarius erit. Neque verò hinc nocumentum ſe-
quitur utero aut fæminæ: non utero, quia ſanguis naturaliter accedens
non tantus eſt, qui præternaturaliter uterum humectet, imò naturæ pro-
videntia eſt factum, ut quoties poſſet ſanguis accumulatus nocere, ſe-
quatur ejus evacuatio: non fæminæ, quoniam exigua eſt moleſtia qua
afficitur, dum fluunt menſes, præ utilitate quam percipit ex evacuatione
ſanguinis quantitate peccantis.

Porrò per quamcumque aliam partem menſes fluerent, fluxio eſſet
incommoda, per uterum verò commodiſſima, utpote quo & retineri ſan-
guis tempore neceſſitatis facile poteſt, & effundi quando eſt ſuperfluus.
Cæterum adhuc difficultas ſe offert: Nam ſi poteſt commodè evacuari,
quando inprimis gravidationis menſibus pauco opus eſt ſanguine ad a-
litionem fætus, cur quod ſupereſt non educitur, ſiquidem ex hoc ſuper-
fluo maxima mulieri accidant mala, unde prioribus generationis menſi-
bus nauſea, ſtomachi ſubverſio vomitus, inappetentia, & plura alia dam-
na gravidas ſolent vexare. Jam diximus naturam agere quantum po-
teſt: ſi enim ſe ipſam in ſuis actionibus cohibere sciret, utique intellectu
eſſet prædita: ergo quando fætus concipitur, retinetur à natura ſanguis,
nec illa novit quantum ſanguinis ſit retinendum, quantum foras edu-
cendum, neque ad agens naturale pertinet hanc diſtinctionem cogno-
ſcere, ſed inſtinctu innato os matricis ita claudit, ut ne ſpecillum quidem
poſſit ingredi, atq; ita ſatisfacit ſuo muneri retinendi ſcilicet ſanguinem
& fætum. Quod ſi inprimis menſibus non eſt neceſſaria tanta quanti-
tas,

tas, quanta retinetur, huic damno potest aliquo modo remedium esse illa repositio superfluitatum quæ licet non omnino, tamen aliqua ex parte mulierem sublevat. Cæterum si os vulvæ apertum remaneret, longè majus ex hac apertione, quàm ex occlusione damnum sequeretur: quippe aut nimium foret quod excerneretur, & sic fœtus suo fraudaretur alimento juxta illud aut fœtus aperto orificio ab aere offenderetur: quippe nec respiratione, nec transpiratione tunc temporis copiosiore indiget, quàm quæ per arterias umbilicales ei à matre communicatur.

Hipp. aph. 31. sect. 5. Mulieres sanguine misso abortiunt & maxime si fœtus sit major.

Demum demonstratum manet & ratione loci dicendam esse purgationem istam secundùm naturam, Vnde meritò solet flos appellari: quemadmodum enim flos secum fructum & semen affert, sic etiam purgatio hæc eo tempore accedit; quo simul fructuum hoc est prolis spes adest, & semen simul oritur, & quemadmodum arbores quæ copiosis floribus ornantur, fœcunditatem pollicentur, sic puellas quibus prosperè menstrua adveniunt, fœcundas fore speratur. Quod si flores temporis injuriam patiantur, fructus deperduntur, fœminæ non minus, quæ menstruorum vitio laborant, periculum est ne fructu careant. Si flores evanescunt, quando fructus adest, sic menses cessant quando mulier in utero concepit. Atque adeo omni ex parte natura quæ in plantis flores naturaliter produxit in ordine ad fructum, eadem menstrua ordinavit, respiciens ad prolem, & sic manet purgationem istam esse secundùm naturam, quod adhuc melius constabit ex solutione argumentorum.

Solvuntur argumenta initio proposita.

NOn obstant argumenta quæ superius attulimus, quominus verum sit purgationem menstruam esse secundùm naturam, & quod attinet ad primum sumptum ex parte materiæ, fatemur eam esse sanguinem naturæ nostræ familiarissimum, quem natura quoad potest retinet. Sed hoc accipiendum est cùm addito, nimirum nisi quantitate excedat: nam tunc qui fieri potest, ut natura id à quo molestatur, laboret retinere? At sanguis menstruus sua quantitate naturam molestat, ideoque ab eadem natura ejicitur & ejectio ista meritò naturalis appellatur: quare Galenus, quamvis dicat evacuationem sanguinis esse toto genere præter naturam, semper excipit eam quæ singulis mensibus per uterum solet fieri, dummodo modum non excedat, nec à debito deficiat, unde Hippocrates, *si menstrua plura fiant, accidunt morbi, & si non fiant, ex utero morbi contingunt.*

5. aph. 57.

Ad

Ad alterum. Ex causa agente, verum quidem est sanguinis moderatè calidi causam efficientem esse moderatam caliditatem. Nec verò fœminis caliditas moderata adest, alioquin si tanta frigiditate esset prædita, ut non posset sanguinem generare, animal foret exangue. Verum etiam est multitudinem sanguinis esse signum jecoris calidi, & jecur calidum tribuere temperamentum universo corpori: nihilominus sanguis in fœminis non redundat, quia plus quam par est, gignitur, sed quia minus quàm par est, discutitur: quare ex defectu discussionis redundat sanguis in fœminis: defectus autem discussionis oritur ex defectu caloris discutientis. Potest ergo stare fœminas & temperamento frigidas esse & multo sanguine abundare.

Ad tertium. Negamus finem purgationis menstruæ esse prolis generationem. Est quidem generatio illi hæc finis, ob quem natura sanguinem in mulieribus coacervat, ideoque datum fuit illis temperamentum adeo caloris inops, ut non possit totum id quod accumulatur discutere: cæterum quo tempore fœtui formando alendove sanguis iste non est necessarius, mulier ex eo retento damna suscipit: quare ne natura succumbat, eum evacuat. Est propterea hujus evacuationis finis mulieris sanitas: dicendumque est coacervationem habere finem, seu causam finalem universalem, hoc est speciei conservationem: evacuationis verò, de qua loquimur esse causam finalem particularem, hoc est tutelam sanitatis individui muliebris. Quòd verò extra tempus necessitatis fluant, jam diximus esse opus naturæ quæ non ducitur intellectu. Ad confirmationem verò dicemus, sine menstruis quidem aliquas mulieres sanas vivere, nihilominus tamen hoc rarissimum est: quod autem rarò contingit medica dogmata non destruit. Ad confirmationem dicimus coacervationem sanguinis esse secundùm naturam fœminei sexus, nec propterea ejus evacuationem esse præter naturam: nam evacuatio fit juxta mensuram determinatam, ita ut ex Hippocrate si menstrua non fluant, morbi fiant: si plurima profluant, ex utero morbi accidant: quicquid autem in pondere & mensura fit, naturaliter fieri dicitur.

Ad quartum. Non fit anastomosis, hoc est apertio venarum, ad expellendum sanguinem: quippe venæ per se ipsas apertæ sunt, quarum pars ad cavitatem, pars ad collum uteri hiat: per illa quæ ad cavitatem hiant, fœtus tempore gravidationis sumit alimentum, & per eam rarò solent virgines expurgari, propter occlusionem uteri; rarò inquam, nam aliquando etiam occluso utero potest sanguis ex ejus cavitate exire, ut experimento constat in gravidis, quæ tametsi habent os uteri admodum occlusum solent nihilominus menstruam evacuationem pati; unde Avicenna

Gal. 5. aph. 57 menstruorũ redundantiæ causam esse ait, si ora vasorum uteri ultra modũ aperiantur. Unde colli-

cenna agens de signis impraegnationis ait. *Et retinentur menstrua, quare non menstruantur usque ad tempus, aut menstruantur paulatim, quod solet esse pessimum.* Hoc accepit ab Hippocrate dicente, *si mulieri utero gerenti purgationes erant impossibile est fœtum esse sanum*; dixit *purgationes*, sed intelligere oportet non qualescumque, verùm copiosas, ideò in epidemiis ait, *quapropter menses, quales octimestrium, qui fiunt ad decimum tendentibus malum*: Ecce declarat quæ purgationes sint pravæ, videlicet quales octimestrium: nam octimestribus si contingat menstrua habere, ea sunt cum perturbatione valde magna & periculo abortus. Quapropter Galenus in præcitati aphorismi commentario considerat dici ab Hippocrate *purgationes* in numero plurali, quia sic insinuatur sanguinem non esse paucum qui excernitur, neque semel, sed sæpius, & multum: qui enim semel aut bis paucis excernitur, in multis apparet, absque hoc, quod fœtus quidpiam patiatur. Ex his patet Avicennam, qui dixit *menstruantur paulatim quod solet esse pessimum*, fuisse deceptum: quippe ut diximus non quælibet menstruatio est prava.

gitur cùm sanguis naturaliter fluit, anastomosim esse non quæ præter naturam dicenda sit.

lib. 3. sen 21. tr 1. c. 11.

5. aphor. 60.
2. epid. sect. 3. text. 31.

Sed per quas vias excerni solet sanguis quando gravidæ menstruantur. Galenus excretio, quæ in gravidis fit, videtur, inquit, ex venis, quæ in collo sunt apparere: nam ab interioribus, quæ sunt in cavitate uteri, secundinæ pendent, quare nihil per illas potest in muliebrem sinum excerni. Cæterum jam superius diximus etiam gravidis potest sanguis ex cavitate uteri effluere, quamvis enim venæ quæ ad cavitatem uteri accedunt in muliere gravida secundinis sibi adnatis occludantur (occludi quidem contingit pluribus) ex his venis non tamen omnibus, ac proinde ut dictum est, paucus sanguis potest sine noxa tempore gestationis excerni Galenus autem id dixit, quod ut plurimum evenire solet, aliter verò fieri posse non negavit.

In com. præcit. aph.


Sed quod ad rem nostram facit nulla datur anastomosis, nulla venarum ruptio, etiam si sanguis per ora venarum effluat: nec verò audiendi sunt qui sanguinem per resudationem effluere dicunt, decepti verbis Aristotelis perperam intellectis, quippe loquens de sanguine menstruo, transfundi ait in uterum propter venarum tenuitatem. Existimant ergo tenuitatem istam esse causam cur possit resudare. At ille se explicat quippe ibidem ait abundare hunc sanguinem per tenuissimas venas, additque non posse ibi contineri sanguinem ob venarum angustiam. Verissimum itaque est venas uteri esse multas & exiles, & quia exiles, non posse in se ipsis sanguinem continere: quapropter necesse est ut per ora ipsarum eructet: quod quidem nullo naturæ detrimento, sed potius utilitate fit: quare magis hinc colligi debet hanc purgationem esse secundùm naturam, quàm ejus oppositum.

2. de gen. an. c. 4.

Ad

Ad quintum: quamvis admittatur sanguinem menstruum esse venenum (de quo mox agemus) non tamen hinc inferri debet evacuationem esse præter naturam: quippe tametsi verum sit venenum non concoqui, verum etiam est nec alia excrementa coctionem admittere: cæterum quemadmodum illa post coctionem separantur, tamquam inutilia, ita venenum tamquam naturæ inimicum seponitur & evacuetur. Dubitare tamen quis poterit, cur natura quæ alia excrementa celeriter evacuat in evacuatione hujus sanguinis venenosi tarda admodum & negligens est? Deinde etiam si qualitate prava est præditus, cur dicitur sola quantitate molestus? Respondeo ad primam dubitationem sanguinem menstruum servare formam sanguinis, & quamvis magna ex parte veneni naturam habeat, nihilominus naturam benignitate sanguinis allectatam tardè & negligenter ad ejus excretionem excitari. Ad alteram dico venenatam qualitatem permistam sanguini non putrido, sed victimæ recens mactatæ sanguinis specimem referenti, non offendere uterum, ac proinde non nisi à multitudine uterum gravare. Offendet tamen postea, si diu retentus partes venenosæ multiplicentur, & tota sanguinis massa corruptelam referat. Vnde ex retentis menstruis gravissima accidunt mala.

Ad confirmationem dicendum excrementa uniuscujusque coctionis aliquo modo qualitate peccare, per quam ab optima substantia, quæ tunc fit, deveniant. At nos modò agimus de illa sanguinis evacuatione menstrua ea ratione, qua tunc peccat quantitate, & quærimus per quam actionem redundat. Respondemus quodammodo referri posse ad secundam, & ad tertiam. Nam sanguis ille per secundam coctionem generatur quæ fit in jecore, & redundat post nutritionem ejus, & ad hanc debet referri: sicut chylus, qui superest post nutritionem ventriculi factus hujus partis actione dicitur esse excrementum ventriculi; & lac quod superfluit post nutritionem mammarum, quia factum est actione illarum, ad hanc pertinet. At verò quia etiam redundat post nutritionem partium, ita ut totus non consumatur, licet actione illarum non fiat, dicitur esse excrementum tertiæ coctionis.





DISPVTATIO SEXTA.

Vtrum sanguis menstruus inter venena sit connumerandus.



14. *Lectio.* N menstruorum, & puerperii tempore mulier æquè immunda in sacra pagina censetur. Hinc colligi potest, in utraque evacuatione sanguinem, qui educitur, esse pravitate infectum. Galenus non levem quidem in puerperiis labem agnoscit, imò longe minorem quàm menstruis: ait enim. *Menstruorum suppresio offendit, non tamen perinde ut si à partu supprimantur, efficit, quod non abundantiam modò sed insignem etiam humorum pariat pravitatem: nam meliorem sanguinem ad se fœtus nutrimenti causa alliciens, relinquensque deteriorem, causa est ut prægnantes pravis humoribus impleantur, quos à partu evacuat natura: nam pessimam per putredinem potest acquirere qualitatem.*

3. epid sect. 3. agr. 2. com. 71.

7. de procreat. hom. c. 7. Fernelius longè aliter arbitratur: quippe *vix animum induco*, ait, *fieri posse, ut ex eo* (nempe ex sanguine qui singulis mensibus educebatur) *fœtus in utero gestatus alimentum capessat: imò tum optimè solet mulier utero concipere, cum ab hac fœda eluvie munda, purgataque fuerit, cùmque purus existet, tum uterus, tum reliquus sanguis in corpore, ex quo deinum fœtus detur.*

Cæterum utraque hæc opinio concordat in eo quòd sanguinem menstruum qualitate peccare dicitur, discordat in alio, nempe quòd Galeni opinio est sanguinem gravidarum esse deteriorem menstruo, & infantis alimentum partem laudabilem menstrui accipere, ut quod reliquum est per puerperia ejiciatur. At verò ex Fernelii sententia sanguis qui in utero gravidarũ servatur, purus & omnis pravæ qualitatis est expers, nihil commune habens cum sanguine menstruo, quem ille merum venenum esse constanter tenet. Cæterum quoniam menstruorum pravitas in illi conveniunt non placet neotericorum quamplurimis, paululum res est in controversiam afferenda.

Argumen-

Argumenta eorum qui ſentiunt ſanguinem menſtruum non qualitate ſed duntaxat quantitate peccare.

PLeriſque in locis Ariſtoteles menſtruum ſanguinem excrementum
eſſe ſola quantitate peccans nobis inſinuat. Vt quando ait, men-
ſtrua fæminarum excrementum eſſe & vacantem materiam: & alibi, o 4 *gen. an. c.* 10.
mnium animalium mulieribus plurimam purgationem evenire docens 7. *hiſt. c.* 2.
adjungit, *nam his quæ non pariunt, hæc materia ſupervacuum vertitur in corporis a-*
limentum. Nonne ex hiſce verbis colligitur ſolius quantitatis exceſſum
in menſtrua purgatione conſiderari. Alibi etiam cauſam reddens ob 2. *gen. an.*
quam fæminæ pingues ſunt ſteriles, ait, *quia excrementum ſeminale in corpus c.* 5.
abſumitur. Itaque fit ut illis menſtrua deſint. Fit ergo eadem ſit materia
menſtruorum & pinguedinis & ex conſequente non eſt excrementum
peccans qualitate.

Ex Galeno ſimilis ſententia elicitur: quippe evacuationem men- *de ſang.*
ſtruam tamquam plenitudinis remedium eſſe ait, at plenitudo ſolius *miss. adie.*
quantitatis peccatum eſt, veluti cacochymia qualitatis. Deinde quia *craſſit. c.* 5.
ex eodem Galeno ſanguis, ſemenque genitale generationis noſtræ pri- 1. *ſanit. tu-*
mordia ſunt. Cùm verò ſanguinem intelligat nempe menſtruum: nam *end. c.* 2.
hic eſt qui ad generationem fætus à natura retinetur, non eſt credibile
materiam ex qua fætus conficitur, eſſe venenum, alioquin cùm orta at-
teſtantur ſuis principiis, venenoſa eſſet hominis natura. Sed præter au-
toritates etiam rationibus hæc eadem doctrina confirmatur.

Prima ratio eſt, ſanguis iſte non modò fætui in utero exiſtenti ali-
mentum eſt, ſed etiam in lucem edito: quippe lac ex eo paucisſimam
mutationem adepto fit, ſi ergo lac eſſet venenata qualitate infectum, u-
tique non nutriret: opponitur enim venenum alimento, ut conſtat ex
Galeno.

Secunda, ſanguis iſte ab eodem à genere fit & materia ſimili ei qua
maſculorum ſanguis conſtat: fit ergo à jecore ſano, & ab iiſdem ali-
mentis, & in maſculorum corpore alimentum membrorum eſt, ſimili-
ter etiam in corpore fæminarum.

Tertia, mulieres multoties ſuppresſione menſium laborant: hæ
autem vel fierent omnino venenoſæ, ſicut puella illa cujus hiſtoriam
narrat Rhodiginus, quæ veneno nutrita non ſolùm coeuntes ſecum, ſed
ſolo ſputo necabat, aut ſaltem interiret ex defectu menſtruorum cum ſi-
gnis veneni manifeſtis. Hoc autem non ita contingit, ſed potius quæ
ſuppres-

suppressione ista laborant, morbis longis tenentur & plurimæ sanantur, neque alexipharmacis curantur, neque symptomata, qualia ex veneno patiuntur.

Pars altera, nempe sanguinem menstruum veneni participem esse ex affectu demonstratur.

SVnt pro altera parte etiam non leves autorum sententiæ, rationesq; admodum efficaces: inprimis multa sunt indicia hujus veneni à Fernelio, & aliis allata, quippe sanguine hoc evidente si novella vitis tangatur, in perpetuum læditur; steriles fiunt tactæ fruges moriuntur insita, exuruntur hortorum germina. Si omnino mulier prægnans alterius menstrua supergrediatur, aut illis circumlinatur, abortum facit: ei autem, quæ utero non gestat concipiendi spem adimit. Mulierum quæ purgantur spiritus, & vapor ab ore specula, & eboris nitorem obscurat. Gustatus his sanguis canes in rabiem agit, homines autem miris cruciatibus affligit, comitialem morbum; pilorum effluvium, aliaq; elephanticorum vitia infert.

Sunt qui ad hæc respondeant, non omnia vera esse, sed aliqua prorsus falsa, alia verò debere intelligi dum sanguis pessimam qualitatem per putredinem acquisivit: acquirere autem posse vim veneni admittunt ex Galeno, & communi medicorum schola. Cæterum hæc responsio magis obstinationem, quàm veritatis amorem præsefert. Nam in primis quicumque ait aliqua ex his esse falsa, non id liberè deberet asserere, quippe ei incumbit ostendere quæ non sunt falsa, quæ vera. Ac deinde falsitatem experimento se invenisse oporteret profiteri. Sed esto sint aliqua falsa; ea saltem quæ vera sunt, sufficiunt ad confirmandam huius sententiæ veritatem. At ea non eveniunt (inquiunt illi) nisi per putredinem. Hoc ut illis concedamus, necesse erit concedere hos effect9 non dari, nisi in muliebre febre synocha laborante: qui enim fieri potest ut sanguis putrescat in venis ab omni febre libero. Imo non solum mulier putredine hac infecta synochum patietur, sed febrem pestilentem: neque enim aliter fieri potest ubi sanguis in veneni naturam abiit.

Sed Mercurialis non putredinem commemorat, ait tamen hos pravos effectus solùm reperiri in fæminis, quæ valetudinariæ sunt, & pravo temperamento affectæ, quia apud Medicos constare, ait uterum esse sentinam, & cloacam, in qua natura solet sordes deponere. Nos hanc injuriam utero inferri non admittimus, imo constat apud Medicos nullum

lium esse membrum, cuius magis solicita sit natura, nullum quod facilius
à quolibet contento præter naturam offendatur, quàm uterum, sive illud
sit flatus, sive aliquid aliud. Absit ergo ut uterum, qui est ager in quo
humana proles jacto semine producitur, & domicilium in quo infans per
plures menses habitat, cloacam appellemus. Quòd si cloaca est, cùm
ibi nil præter sanguinem menstruum acervetur, eluvies quæ hanc cloa-
cam inquinat, est sanguis menstruus ac proinde dum sanguinem istum à
pravitate vult liberare, eum majore pravitatis nota afficit. Præterea ex
levi quadam causa insignes valde effectus produci nequeunt: affectus
qui mulieres reddit non ægras, sed duntaxat valetudinarias, levissimus
est: lapsus in solo temperamento non tanti esse potest, ut pro sanguine
humorum laudatissimo, venenum perniciosissimum efficiat, unde ex eo
quòd fæmina aliqua sit valitudinaria, aut pravo temperamento affecta,
non certè fiet ut eius sanguis evadat naturæ venenosæ.

Aliam suscepit viam Ludovicus Mercatus, ait namque acciden-
tia, quæ ex retentis menstruis eveniunt, arguere maiorem illius sangui-
nis perfectionem: quoniam non est credibile ea evenire ex sanguinis na-
tura, sed ex concepta putredine, & quò res aliqua potioris est naturæ
ac substantiæ, eò cùm putrescit & corrumpitur graviore afficitur putre-
dine, ut constat ex semine corrupto, cujus sævissima sunt symptomata.
Constat etiam ex hominis natura quæ præstantior est quàm reliquorum
animantium, ac propterea cùm putrescit, gravius fætet, & deterius con-
spurcatur.

Cæterum si quæram ab eo ubi nam sanguis iste retinetur? Respon-
det: paulatim, & sensim in uteri venis ad statum à natura terminum con-
gregari: quippe subitò, & affatim neque separari à reliquo sanguine, ne-
que excerni potest, atque per integrum unius mensis spatium in eo loco
citra corruptionem existere nequit. At si intra venas existit, profectò
existit in suo loco naturale, ac proinde ratione loci non tantam concipit
putredinem. Hoc ille admittit: quippe non omnes fæminæ (inquit il-
le) etiam si menstruantes sint, segetes urunt, & specula inficiunt & reli-
qua, quæ dicta sunt, faciunt. Sed hoc malo eæ duntaxat præstant, qui-
bus aut parum prosperè fluunt menses, aut deterrimum inest tempera-
mentum, vel morbus aliquis, in quibus venenum fieri & sibi & aliis mi-
rum non est. Hæc in primis Legislatorum more nobis nulla adhibita
ratione inculcat. Et sibi fidem habere cupit cùm fidem non mereatur:
quippe retentis menstruis aliquæ benevalent, multi etiam tametsi mor-
bosæ sint, non tamen earum morbus est valdè sævus & symptomata ve-
nenum sapiunt, neque qui coit cum muliere cui menstrua desunt, ali-

quam reportat calamitatem, quam tamen reportare solet qui cum menstruata tempore scilicet quo fluunt menses, coit.

Præcipua ejus intentio est probare veneni naturam inesse sanguini, quia sanguinis natura inter omnes humores præstantissima est: quippe, ut dici solet corruptio optimi pessima. Probat hoc quoniam semen cuius substantia est valde præstans, cùm corrumpitur gravissima infert symptomata: vellem ergo ut argumentaretur ita: semen cùm corrumpitur gravissima infert symptomata, quia præstantissimam habet naturam, ergo sanguis qui similiter præstantissima natura est præditus gravissima infert symptomata: cum igitur hanc consequentiam inferre nequeat quippe ex retento sanguine, non sicut ex retento semine venenum referentia accidunt symptomata, cùm, inquam sic argumentari nequeat, non est cur ex semine ad sanguinem argumentum deductũ recipere teneamur.

Deinde falso imponit semini præstantissimam naturam: quippe seminis non est natura præstantissima, sed spirituum qui in semine continentur, respondentium proportione elemento stellarum: nam præter spiritus istos, quod reliquum est, genitura appellatur, & exiguam habet dignitatem. Verumtamen adhuc posset dicere genituram esse præstantissimam siquidem fit ex præstantissimo sanguine. Sed sit ita, seminis natura sit exquisitissima, unde nam colliget eius substantiam propter putredinem conversam fuisse in venenum? Respondebit ex sævissimis symptomatibus. At ego è contrario colligam sanguinis substantiam non fuisse conversam in venenum, quandoquidem iis caret symptomatibus. Deinde si ex flatu in utero eadem symptomata accidere videamus, nonne exquisitæ uteri naturæ, quæ ex qualibet causa summopere offenditur & colligantiæ cum cerebro per nervos, cum corde per arterias, potius quàm seminis corruptioni hæc mala tribuemus? ita sanè, nam si ex semine corrupto evenirent, utique ex levi alia qualibet causa non possent evenire, sed magnam expectarent.

Alterum exemplum quod scilicet homo propter præstantiam suæ substantiæ deterius putrescit, indignum est homine vel minimæ philosophiæ initiato. Nam hominis corpus præstantissimam dicitur habere naturam, quoniam est præstantissimæ animæ domicilium. Hoc autem nihil ad putredinem confert. Præstantia namque ex qua deterior putredo sequitur, sumi debet ex substantia quæ scilicet causis corrumpentibus vehementer resistit: Hæc est vera præstantia ad quam respicimus, quando quam putredinem subeat considerare volumus. Aurum dixerim præstantissimam habere substantiam, quippe ferè incorruptibile cõservatur, & similiter reliqua metalla, quæ quò diutius permanet eò præstantio-

ſtantioris ſubſtantiæ cenſentur. At hominis nobilitas, quæ conſiſtit in eo quòd ſit quidam ornatus ex plurimis compoſitus, ac propterea mundus parvus appellatur, tantum abeſt ut ei inſerviat ad præſervationem à corruptione, quin potius eum in illam inducit: unde eſt quòd pluribus morbis corripitur, quàm reliqua animalia. Quare axioma non eſt ita conſtituendum ut dicamus quò res præſtantiorem naturam habet, eò deteriore putredine corrumpuntur. Sed ita, ſubſtantia quò ſolidior eſt eò magis putredini reſiſtit, minorique corruptione afficitur. Igitur ſanguis quantumvis nobiliſſimus ſit humor, eſt tamen calidus, & humidus, quæ duo ſunt putredinis fundamenta, ac proinde putredini eſt maximè obnoxius.

Accedit his quod ſanguis menſtruus retinet formam ſanguinis, & propterea benignitatem ſuam retinere debet: hujus rei ſignum eſt quòd febres ex ſanguine, quas ſynochas appellamus, mitiores ſunt, quàm poſtquam ſanguis degeneravit in bilem, & deſipientiæ cũ riſu ſecuriores ſunt, quam quæ cum ſtudio: quippe riſus provenit propter ſanguinem excalfactum, ſtudium verò propter bilem. At quis audebit affirmare ſanguinem in ſua forma remanentem ea infici putredine, quæ veneni naturam induit?

Controverſiæ reſolutio.

IAm ſuperius ex ſacra pagina deduximus ſanguinem menſtruum, & eum qui puerperii tempore evacuatur, pariter eſſe prava qualitate infectum, hoc autem rationibus confirmare oportet. Mulier ubi primum concepit ſtatim ei ceſſant menſtrua, ſignum manifeſtum ea ad fætus nutrimentum ſervari, imò poſtquam peperit, adhuc dum lactat infantem, eadem menſtrua ceſſant: nam quæ per uterum egreſſura erant, ſurſum ad ubera tranſmittuntur: ſurſum ad ubera tranſmittuntur: quòd ſi aliquibus poſt primos menſes menſtrua revertuntur, nihilominus hoc ex abundantia procedit, quippe pars per uterum effluit, pars ad mammas transfertur. 15. *Lectio*

Sed nihil huic veritati officiunt ea quæ Fernelius in contrarium adducit: cùm enim exiſtimet non eſſe credibile fætum in utero ex hoc ſanguine ali, id credibile facit Galenus aſſerens fætum ex meliore ſanguinis parte nutrimentum ſuſcipere: neque enim totus ſanguis merum venenum eſt, ſed ſufficit quod aliqua ex parte venenoſus ſit. Cùm verò addat mulieres tunc concipere, cùm mundæ purgatæque ſunt ab hac eluvie, reſpondemus ex Hippocrate in *libro de morbis mulierum* tempus aptiſſi-

ptissimum ad concipiendum est, si coeat desinentibus aut inchoantibus mensibus. Neque intelligatis cum Capivaccio inchoantibus mensibus, hoc est in ætate qua mulieres incipiunt menstruari: nam sic desinentibus mensibus intelligeremus ætatem qua menstrua desinunt: hanc autem existimare esse aptam ad concipiendum, error est inexcusabilis.

Interrogat ille se ipsum, quonam corruptus hic sanguis quem menstruum appellamus in gravidis concedit? Respondet partem exiguam circa uterum inhærere in venis, partem maximam reliquo puriori sanguini permisceri. Hinc quia nequit naturæ vis omne illius vires mitigare, aut evincere, gravidis mulieribus plurima mala eveniunt, corporis gravitas, fædus faciei color, lienis tumores, varices, atque ut in genere dicatur, ab hoc retento in omne morbi genus procliviores sunt, quàm quæ utero non gestant. In his omnibus videtur mihi somniare, nam quorsum partem reliquit in venis merè venenosam, partem autem ejusdem naturæ permiscet cum reliquo sanguine. Deinde si pars major permiscetur cum reliquo sanguine, jam reliquus sanguis remanet inquinatus, quem tamen ille purum & ab omni labe segregatum esse volebat. Præterea gravida mulier non his opprimitur affectibus, quos ille describit, sed solam pati turpicam, hoc est appetentiam depravatam, nauseam, vomitum, subversionem stomachi, & hoc prioribus maximè mensibus, quando juxta illius sententiam nondum id quod venenosum est, cum reliquo sanguine permistum esse debet. Tandem ille ait retineri hunc sanguinem ne si defluat simul cum eo utile fætus alimentum dilabatur. Est ergo permistum purum cum impuro & separatio puri fit à facultate naturali, trahit namque per suam facultatem tractricem: tractricis autem naturæ instinctu similia trahit, ut apparet in nutritione, neque est necessarium fingere duos sanguines unum purum, alterum venenosum, sed unum utriusque naturæ participantem, cujus partem utilem fætus ad se allicit, ut ex Galeno diximus, inutilis seu perniciosa reponitur expurganda tempore puerperii.

Sanguinem menstruum prava qualitate infectum esse (quæ est nostra præcipua intentio) ex Aristotele & Galeno manifestè deducemus, multò melius quàm suam sententiam adversarii se deduxisse existimant, & inprimis, Aristoteles, hoc genus sanguinis vitiatum, ægrotansque appellat, additque paucis mulieribus fieri mariscas, aut varices, aut è naribus profusionem sanguinis, & si quid eorum acciderit, detrimentum in menstrua decumbit. Galenus etiam ait singulis mensibus excerni, veluti id quod post partum excernitur, non solùm quantitate, sed etiam qualitate, quæ materia sanguine secundùm naturam habente magna ex par-

3. hist. c. 19.

de atra bile c. 8.

parte nigrior est. Idem etiam repetit in epidemiis ut initio hujus con- 3 epid. Gal. 1. troversiæ diximus, idem in prorrheticis: sanguinis pravitatem agnoscit prorrh. c. 8. etiam Plinius.

Facit ad confirmationem hujus sententiæ id quod Averroes & Za- lib. 7. c. 15. haram medico refert, nempe ex coitu cum muliere menstruata fœtum & lib. 8 c. 7. nasci lepra infectum. Forsitan ex hac sententia oritur opinio aliquorum Aver. 5. coll. c. 7. Theologorum, qui tenent accedere ad uxorem propriam habentem menstruam purgationem, peccatum esse. D. Thomas ait, prohibitum in 4. dist. esse viro ad menstruatam accedere uxorem, & similiter prohibitum mu- 32. ar. 2. lieri in tali fluxu debitum petere, si purgatio sit naturalis. Hoc explicat quæstiuncula 2. Sotus ita ut sit veniale peccatum, si à viro debitum petatur, non tamen Sot. art. 2. ex parte mulieris si reddat quia ex Apostoli sententia potestatem habet sui corporis. Sequitur hanc sententiam Caietanus, & reddit rationem, quia nulli facit injuriam, qui utitur jure suo. Attamen scotus tenet ex parte utriusque esse mortale peccatum propter duo: & quia talis actus prohibitus est à lege sub pœna mortis, quæ non infligitur nisi pro morta- li peccato, ut constat ex Levitico. Altera ratio quia proli fit injuria: est Leu. 18. enim contra bonum prolis, cum medici existiment fœtum inde oritu- rum lepra infectum. Dominicus Sotus dicit esse præceptum ceremo- niale, ac propterea jam cessasse.

Videtur ergo magis veritati consonum dicere, cùm plenitudo sive universalis in toto corpore, sive particularis in aliquo membro valde pe- riculosa sit, unde Hippocrates solvere bonum habitum jubet: quia scili- cet sanguis multus conculcatus non transpiratur, maximè in muliere cujus habitum diximus esse densum & subinde non multùm transpira- bilem, cumque in venis quæ accedunt ad matricem, retinetur, putre- scit, ac proinde expellitur à natura & is qui à natura expellitur putredinis signa habet, est inprimis niger ex Galeni sententia superius citata, est grave olens ut experimento constat. Ac præterea etiam si nec in colore mutatus esset nec in odore, non propterea negandum esset eum esse pu- tridum: nam quoad colorem extrahitur sanguis multoties per venæ se- ctionem qui colorem valde rubrum præ se fert, & tamen fibras habet re- fractas, ita ut nequeat concrescere, sicut etiam videmus ossa putrida ni- hil in colore mutata sine fibris, ac proinde dissipantur, nec rotundita- tem suam servant. Odorem pravum bis tantùm mihi contigit obser- vare in sanguine misso ob febrem putridam, quippe dum intra corpus est putredo à colore innato quodammodo cohibetur. Mulieres verò qui- bus menstrua retinentur, non omnes febre synocha & pestilente labo- rant: quia putredo fit absque magna ebullitione & teste Galeno solet in

corporibus nostris venenum generari, quod per longum tempus non nocet donec aliqua causa agitatus cor petit. Hinc est quod ille ut cognoscatur an aliquis periit ex veneno epoto, an intus genito, inter alia quæ considerare oportet, unum est, si fuerit mulier, an perfectè per menstrua, dum vixit, purgabatur, quasi insinuans ex menstruis retentis potuisse aliquam portionem venenosam servari, quæ postea ab aliqua causa externa adjuta, & agitata; cor petens manifestavit se, & de repente interemit.

Solvuntur rationes pro priore sententia adductæ:

QVamvis admittamus menstruam evacuationem ab Aristotele excrementum quantitate peccans appellari, non tamen admittemus esse quantitate peccans. Nos redundantiam sanguinis in fæmina non negamus, non tamen hæc tollit quominus sanguis redundans retentus & non evitilatus possit labem acquirere, vel dicendum sanguiné menstruum antequam ad venas uteri accedat, esse excrementum quod remanet post tertiam coctionem & tunc sola quantitate peccat, peccabit postea qualitate, cùm in utero retinebitur.

Galenus menstruam evacuationem quasi plenitudinis remedium esse ait. Rectè quidem: quoniam per eam evacuatur multitudo sanguinis sine delectu. At ex altera parte etiam rectè menstruam istam evacuationem purgationis nomine designat, quasi innuens non solùm quantitate, sed etiam qualitate peccare hujusmodi sanguinem: quippe purgatio debetur humoribus qualitate peccantibus.

Sed cùm superius dictum sit sanguinem menstruum expelli à natura quia ejus quantitate gravatur, videmur nobis contrariari, qui nunc in eodem sanguine qualitatem pravam agnoscimus. Dicendum, sanguinis menstrui manifestam esse noxam à quantitate, at vero à qualitate non ita, tum quia pravi sanguinis paucitas latet sub multitudine melioris, tum etiam quia pravitas hæc licet sit inimica cordi, cui adversantur venena omnia, non est inimica utero, quippe ei quasi connaturalis non stimulat, non aliter ac venenum, quod intra corpus nostrum occultũ permanet, non lædit partem illam in qua acervatur, cui connaturale quodammodo fit. Potest ergo humor naturalis u. g. bilis stimulare sua acrimonia, potest è contrario venenum frigidum, u. g. semen corruptum, nullum stimulum, quo natura ad excretionem excitetur, habere.

Quam-

Quando autem Galenus ait sanguinem esse alterum ex duobus principiis generationis nostræ, sanguinem accipit sequestratum, qualis enim inservit pueri alitioni, inservit etiam prius ejusdem formationi: neque enim virtus formatrix aliter quàm in materia præparata agit, neque semen spiritibus refertum in se admittit substantiam spiritibus infestam: formatur igitur fætus, & alitur ex sanguine prius depurato. Hæc autem depuratio licet in aliquibus perfecta: quapropter sanguinis infecti scintilla remanens in corpore infantis sua exiguitate non nocet, cæterum & lactis & aliorum ciborum pars aliqua excrementosa & putrescibilis scintillæ huic sensim sine sensu adhærens, ad eam devenit molem, quæ jam naturam molestet, ea molestata insurgit ad pugnam, fitque quædam crisis aliquibus ad bonum, aliis ad malum prout cujusque vires, & apparatus corporis poterit naturæ præsidio esse. Hoc malum variolas appellarunt Arabes, fitque in hac pugna veluti ebullitio quædam adeo signa ut vesicæ attolluntur similes eis quæ combustis ab igne attolli solent. Meritò Fracastoricus hinc occasionem accipit dicendi ferè omnes hunc affectum pati, dixit *ferè omnes*, quoniam (ut diximus) aliqui sunt quibus perfectam sanguinis sequestrationem in utero matris habere contigit. Cùm vero ait variolas majore ex parte salubres esse, contra manifestum experimentum loquitur. Cùm præterea ait pueris benigniorem morbum esse quàm adultis, quoniam si per ætatem teneram eam sanguinis infectionem non expurgant, signum est esse male idoneam separari. Addiderim duas alias rationes, una est quia infantes qui non adhuc nimis lucis munere delectantur facilius tolerant impedimentum tam visionis, quàm motionis omnium membrorum, utpote qui assueti sunt pati angustias uteri, provectiores autem hæc mala difficilius ferunt. Altera est quoniam cutis puerorum mollis facilius perforatur, quàm durior adultorum: fit autem per variolas tanta foraminum multitudo, quot sunt vesicæ quæ protuberant. Quando verò ait, quum semel hoc malum accessit, non esse solitum reverti, quamvis aliquando contigit bis accessisse, quibus scilicet prius non exactè secreta fuit. Puto secretionem, cùm fit, si est imperfecta, interitum inducere, sin autem ad sanitatem tendit, perfectam esse. Quare quòd revertatur hoc malum experimento comprobatur: reversionis autem causam esse censeo, quoniam (ut in meo libro *de Meteoris Microcosmi* me dixisse memini) tametsi causa variolarum communiter esse soleat vitium sanguinis in utero materno accepti (nam in hoc Arabum doctrinam recipimus) nihilominus ita hanc causam afferimus, ut simul fateamur posse hoc idem malum ab aliis causis procedere: quid enim prohibet, tantum fervorem & veneno-

de mor. contagios. c. 2.

fitatem in sanguine gigni à causis putrefacientibus, ut ex fervore vesicæ istæ extollantur.

Sed revertamur ad rationes pro contraria parte. Ad primam fatemur alimentum & venenum contraria esse, nihilominus hoc non tollit posse unam & eandem substantiam partibus constare quæ laudabiles sint, aliis quæ pravam habeant naturam, ac proinde tum lac, tum alimentum quo alitur fætus in utero fiunt non ex universo sanguine menstruo, sed ex quadam parte nempe puriore: sanguis verò marium & sanguis fæminarum idem est eodem fungitur munere, videlicet nutritione. Sed hoc intelligitur de sanguine, qui à jecore per venas dispergitur, quid autem prohibet hujus superfluum, quod ad uteri venas transmittitur, ibi propter moram, & impeditam ventilationem putrescere?

Ad secundam jam ex dictis constat responsio. Nam sanguis fæminarum & marium ab eodem agente fit, & ab eadem materia, hoc est ab iisdem cibis, sed sanguis fæmineus postquam excrementum quantitate peccans evadit in venis uteri retentus qualitatem pravam suscipit, quam non potest suscipere sanguis marium, utpote qui nec redundat, nec in parte aliqua retentus commoratur.

Ad ultimum non fiunt quidem symptomata, velut ex veneno, quando menstrua non fluunt, nempe si fluere desinant ob aliquam causam in corpore existentem, quæ prohibet acervari sanguinem, & veneni naturam induere: si verò cessent menstrua ob impedimentum existens in utero, tunc sanguis ibi accumulatus putrescens tamquam venenum efficitur & ex hoc sanguine symptomata oriuntur prava, horrenda, periculosa. Cæterum obstare videtur Hippocrates, inquiens, *si menstrua plura fiant, accidunt morbi, & si non fiant, ex utero morbi contingunt*, ex quibus verbis videtur colligi posse menstruorum defectum semper habere suam causam in utero, & falsum esse quod diximus causam aliquando habere in toto corpore; hujus dubii solutionem sequens disputatio nobis offeret.

5. aph. 57.



DISPV-



DISPVTATIO SEPTIMA.

De menstruorum tum redundantia, tum defectu.



IN fine superioris lectionis in campum attulimus sententiam Hippocratis, quæ sic habet, *si menstrua plura fiant accidunt, & si non fiant, ex utero morbi contingunt.* Dubitat Galenus an in sola retentione menstruorum, sit apponenda illa particula *ex utero*, an verò sit utrique affectui communis, & id negat posse cognosci, nisi causæ horum affectuum cognoscantur, & in primis enumerat causas reddundantiæ. Videlicet si ora vasorum, quæ ad uterum pertingunt, ultra modum aperiantur; si sanguis calidior fiat; si sanguis tenuior fiat; si totum corpus ob aliquem malum habitum & malam qualitatem sanguine aggravetur; si malum habitum non habeat nec malam qualitatem, sed sua multitudine solùm peccet, ideo ad uteri venas expellitur, ut in his defluxibus fieri solet, qui à parte ad partem fiunt. 16. *Lectio: sed prima post pascha nativitatis, & in principio anni 1635.*

Retentionis mensium causæ sunt, si venæ quæ menses ad uterum ferunt, comprimantur; si eædem venæ destruantur; si sanguis sit crassus; si sanguis sit frigidus; si uteri vasa robusta sint; ut sanguinem qui influit non admittant: concludit tandem juxta has causas necessum esse processu temporis uterum pati, vel dispositionem inflammationi similem, aut erysipelati, aut duro tumori, aut cancro, quibus denuo totum compatitur corpus. In immodicis autem evacuationibus nulla talis accidit uteris passio, adeo ut per compatiendi rationem totum corpus unà laboret. Quare verisimilibus ipsi videtur in sola retentione menstruorum, dixisse Hippocratem morbos contingere ex utero.

Deficit aliquando menstrua purgatio (ut jam superius diximus) mulieribus quæ validè exercentur, deficit etiam si præcessit copiosa aliqua sanguinis fluxio: de his tamen non loquimur, sed de suppressione quæ fit sanguine in venis redundante, sed ob aliquem affectum præter naturam impedito ne ad uterum, vel per uterum fluat. Causas quas-

dam retentionis, nempe oris uteri distortionem, inflammationem, constipationem à caruncula, vel pellicula adnata, dicimus non esse recipiendas, quia hæ non possunt impedire mensium evacuationem, quæ etsi per os uteri non fiat, potest tamen fieri per venas ad ejus collum pervenientes. At nos fatemur posse quidem sanguinem exire per venas quæ ad collum uteri accedunt, & quamvis Iacchinus dicat hanc non esse veram evacuationem menstruam, sed fluxum hæmorrhoidalem, quæstio est de nomine, & sufficit quod sanguis ille qui per uterum erat excernendus, excernatur, ut gravidis, & virginibus (ut diximus) contingere potest: sed non agimus de iis quibus hoc adest supplementum, sed de aliis in quibus sanguis qui fluxurus erat, vel retinetur ibi, vel regurgitat cum patientis non levi damno. Contingit aliquibus sanguinis sputum ex Aetio, aliis hæmorrhagia è naribus propter defectum menstruorum: nec mirum est sanguinis via naturali impedita, aliquando naturam cæco impetu ductam deviare per loca non conferentia: cùm præterea possint hæ venæ quæ in collo uteri sunt simul esse obstructæ.

lib. 16. c. 51.

Est tamen dubitatio circa aliam causam nempe sanguinis crassitiem, quam Galenus affert tamquam diversam ab obstructione: respondendum tamen est, licet sanguis crassus non impediat transitum menstruorum, nisi obstruendo, nihilominus obstructio ponitur tamquam causa diversa, quoniam ab aliis causis potest fieri, ut à pituita crassa & lenta.

Porrò omnes suppressionis menstruorum causas, tum totius corporis communes, tum etiam uteri proprias ex propriis earumdem indiciis, ægrotantium sermonibus, corporum habitibus, ac ex præcedente victus ratione dignoscere potestis. Si verò sanguis non sit omnino suppressus, sed diminutè fluat, considerandus est fluentis sanguinis color, & substantia, & tunc manifeste patebit an sanguinis vitio hoc accidat. Si verò causa suppressionis caruncula aut pellicula adnata sit, quod obstetricis relatu assequemur, curationem non admittit, nisi illa pellicula, aut caruncula resecetur: si fiat ex cicatrice, cognoscitur ex præcedente ulcere, & tunc etiam affectus est incurabilis: si verò ob plenitudinem mulieres non evacuantur, tunc sanguinis missio remedium est: neque prorogare hoc remedium oportet, ut admonet Galenus, venas tamen secari jubet, quæ sunt in malleolis, aut in poplite, non autem in gibbero, nam revellere solent purgationem. Aetius prius ex brachio secandas esse venas censet, postea accedendum ad venas pedum: quod forsitan admitti posset, ubi magna est plenitudo: imò verò adeo necessarium est naturam exonerare, ut multoties sanguine misso ex brachio, natura excrementa ad solitas menstruas purgationes moliendas convertatur.

lib. de sang. miss. c. 15.

Defe-

Defectus menstruorum symptoma est in genere retentorum immodicè, ut constat ex Galeno. Quemadmodum redundantia menstruorum est symptoma in genere excretorum immodicè, non tamen toto genere præter naturam. Quamvis autem cùm menses naturaliter fluunt, apertis venarum oculis fluant, nihilominus cum effluunt præter naturam possunt aliis modis effluere, quod cognoscitur, cùm enim sanguis erit ob venarum ruptionem, aut erosionem, sanguis confertim effluit si venæ sint majores, si verò minores, viceversa. *de diff. symp. c. ult. & 3. de caus. symp. c. 4.*

Ruptionem vasorum posse cognosci ex præcedentibus constat, ut si præcessit vehemens motus, aut si adsit magna sanguinis abundantia: Altimarius addit etiam frigus: cæterum ob vehemens frigus posse vasa thoracis disrumpi credibile est, & hoc Galenus concedit, sic vasa uteri posse disrumpi ob vehemens frigus, quemadmodum accidit ad vasa thoracis.

Sanguinis missio in menstruis superfluis, si vires constent, locum habet ex brachio, si tamen modica & facta per intervalla: confert etiam ex Hippocratis decreto cucurbitulam quam maximam mammis apponere. Confert etiam vinculis extremas partes nempe superiores, hoc est brachia fortiter constringere. Paulus & Aetius inguina etiam vinculis liganda esse censent, quod tamen remedium periculosum vocat Mercatus, & meritò: imò Petrus Salius hanc curationem reprobat, nam id quod faciunt cucurbitulæ faciunt & ligaturæ: at Galeno authore cucurbitulæ inguinibus & pubi appositæ menses evocant non sistunt. *5. aph. 50.* *Pet. Sal. annot. in Altim. c. 108.*

Ad utrumque affectum, retentionem scilicet & redundantiam, multa prostant remedia apud authores qui praxin scribunt, nobis sufficit applicandorum occasionem monstrare, quæ accipitur ex cognitione causarum.





SECTIO SECUNDA,

DISPVTATIO PRIMA.

DE NOTIS VIRGINITATIS.



APud eas nationes, quæ seram in juvenibus masculis Venerem commendabant, ut de Gallorum moribus narrat Cæsar, Germanorum Tacitus, sic referente eruditissimo Mercuriale, alicujus utilitatis esset, dignoscere eum, qui incorruptæ sit castitatis ab aliis, qui jam coiverunt. Certum tamen hujus rei signum non adhuc reperi. Sunt qui, odoris & vocis mutationem id significare posse, arbitrantur, sed falsò: nam hæc potiùs adultæ ætatis, quàm amissæ integritatis signa esse censentur, quod Capivaccius optimè annotavit. Nam dum semen procreatur, spiritus vitales largiùs quàm antea in testes diffunduntur, reliquum autem corpus eos pauciores habet, ideoque natura, spirituum copiosorum ope destituta, humores, & excrementa non ita superat, ut anteà, unde necessariò odoris mutatio fit. Deinde vis seminis procreatrix ante seminis generationem, quasi sopita, eo tempore, quo semen producitur, ita excitatur, ut semen gignat, & vim suam, id est qualitatem quandam realem toti corpori impertiatur: unde humores, & excrementa corporis à pristina odoris bonitate decidunt, caroque universa similem affectionem contrahit. Hinc castratorum animalium carnes jucundiores, non castratorum insuaves, sive Venerem exerceant, sive non, quamvis evidentior sit in iis mutatio, quæ Venere utuntur. Quoniam igitur odoris

17. Lectiv. var. lect. lib. 6. c. 23.

Martialis. inde tragus celeresq; pili.

mutatio fit, quia semen gignitur, ab ea non potest signum ullum virginitatis, vel deflorationis sumi. Hæc ex Capivaccio, quoad odorem. Quoad mutationem autem vocis, jam superiùs diximus causam sumi ex dilatatione asperæ arteriæ: cũ enim augescente ætate fistula fit amplior, vox per illam formata fit magis sonora. Si verò quis dixerit, hanc rationem locum habere in voce sonora, non verò in voce rauca, & inæquali, quam habent adolescentes, qui ab Aristotele hircire dicuntur (hi enim ob venereum exercitium vocem exasperare dicuntur) possumus ei respondere, absque Veneris usu ex sola seminis generatione, quæ in ea ætate accidit, non quia spiritus tendunt ad testes, ut putat Capivaccius (nam sic vox ex defectu spirituum non rauca, sed debilis evaderet) sed quoniam, quando semen incipit generari, caput materiam ad testes mittit, paciturque ex insueta demissione ita, ut aliquam portionem sinat ad fauces fluere, posteà verò assuetum minùs patitur, & vox rursus fit plana.

Mercurialis ait, maximam partem eorum, qui cum fæminis concumbunt, id ligamentum, quo glandi præputium conjungitur, frangere, ob id summum glandis aliquantisper detectum semper manere, ita ut concipientibus quibus vis non admodum attentè, etiam appareat, quod minimè Veneris expertibus videtur: quippe qui glandem semper obtectam præputio gerant. Hoc tamen non in omnibus perpetuum, sed in plerisque est, cum aliqui etiam inveniantur, qui nunquam ligamentum illud, frænum vocatum, usu Veneris rumpant, semper autem verum sit, eos, qui glandem detectam habent (nisi more Judæorum rescissi) Venerem esse expertos.

Hæc libuit, ob vicinitatem sermonis in medium afferre, tametsi videar aliquantum psallere extra chorum: nam revera instituti nostri ratio solum postulat, ut de rebus ad muliebrem naturam (quod est hujus tractationis subjectum) attingentibus agamus. Accedere ergo oportet ad propositam materiam, & ex professò inquirere, quænam signa mulieres habeant incorruptæ virginitatis, & quam habeant certitudinem.

I. *Signum ex urinis.*

SVnt qui in urina signum virginitatis inquirunt, sed frustra: neque magis sunt audiendi, quàm qui graviditatẽ ex hoc eodem signo se aucupari posse jactantur. Vtrique absque fundamento. nam ut Galenus ait, & ratio postulat, urina signum est duntaxat in jecoris, venarum, 2. Cris. & uri-

& urinarii ductus morbis: non est ergo, cur uteri affectum, maximè ubi febris non adest, ab urinarum substantia, colore, aut contentis petamus.

Si verò aliquis Galenum mihi objiciat, qui in ventris affectibus semper urinas inspiciendas esse admonet, & in thoracis, pulmonis, nervorumque morbis similiter, unde colligi potest, in uteri affectionibus, licet malum sit extra venas, locum habere urinarum inspectionem, respondemus, in malo, quod extra venas sedem habet, urinas, dum bonæ persistunt, nihil posse significare, si verò pravæ fiant, tunc venoso generi malum per epigenesim esse communicatum, indicari. Hoc idem Galenus voluit: quippe addidit, bonæ si appareant haud magnum præbere posse momentum ad salutem: contra si pravæ, amplificare, simul ægri periculum. Quare neque in urina gravidarum acquiescendum est Avicennæ, qui urinam gravidarum, ait, esse turbulentam, & quæ malo vino assimilatur, aut aquæ ciceris. In urina item virginum non oportet fidem habere, Alberto Magno, & Codronchio (tametsi ex cujusdam peritissimi viri sententia, se loqui profiteatur) qui virginum urinas esse, ait tenuiores, & clariores, quàm in cæteris mulieribus, in quibus ob viatum laxitudinem, & reserationem, & ob uteri numerosiora excrementa urinæ turbidæ, & crassæ cum multo sedimento excernuntur. Sed cur plura excrementa congeruntur in utero mulieris, quàm virginis? Nonne virginibus menses fluunt alibi, qui uterum inquinatum relinquunt? Nonne menstrua incorruptæ veluti corruptæ, habent, quæ possunt uterum inquinare? Deinde vesica, quæ est urinarum receptaculum, quid habet commune cum utero? Foramen verò, per quod mingunt virgines, sat patens est, quo possit urinas crassas emittere, sicut è contrario potest ejaculatum à viro semen admittere. Constat autem hoc, quoniam non est impossibile, virginem, quæ furtivo congressu, metu infamiæ, noluit virum admittere, ne gravida fieret, majore tamen malo fieri gravidam, ingresso scilicet per foramen semine: unde Avicenna. *Quibus os uteri conclusum est*, inquit, *aut non concipiunt, aut si concipiunt, in partu moriuntur*: Si autem vera est historia, quam narrat Averrous, citatus à Cælio Rhodigino, de virgine, quæ semine ex balneo attracto, quod profuderat lasciviens masturbator, infantem concepit, exemplum est accommodatissimum ad probandum foramen virginum patens esse, ut per illud urina crassa possit transire, utpote que tenuior est semine.

3. epid. sect. 2. agr. 9. com. 6

2. 1. doct. 3. sum. 2. c. 10.

Alb. Mag. de sec. mul. c. 10. Cod. in meth. testific. c. 11.

lib. 4. Ant. lect. c. 10.

II. Signum ex Lacte.

QVi ex lacte in uberibus collecto virginitatis corruptæ signum accipi volunt, parùm recordantur sententiæ Hippocraticæ, *si mulier, quæ non concepit neque peperit, lac habet, menstrua ei defecerunt.* Ex qua colligitur, posse absque corruptæ virginitatis nota ex solo defectu menstruorum lac in uberibus acervari. Christophorus à Vega se vidisse testatur puellam Thurgensem, cui mensibus suppressis lac mammis inerat. Medicus verò, cui res fuit commissa (accusabatur enim ab hero) constantissimè affirmabat, ipsam gravidam esse, quam ipse Vega coram hero, & aliis defendit, fieri posse dicens, ut lac habeat mulier, ex sola mensium retentione, citra conceptionem. Tempore autem novem mensium transacto, manifestè constitit, mulierem honestè mixisse, & virginem esse cui aliquibus posteà diebus menses profluxerunt. Hac etiam excusatione voluit se tueri mulier Gallica cujus meminit Brasavolus: mulier namque furtivè filium peperit, in torrentem projecit, sed de crescente aqua infans suffocatus apparuit. Judex, ut hujus criminis ream inveniret, lictores per omnes domos misit, qui mulieres explorarent, quæ lac haberent, & eas interrogarent, quando pepererant, & ubi esset infans. Licet autem ex aphorismo posset excusari, præter rei medicæ ignarus, mulieres, quæ lac habent, peperisse, tanquàm propositionem universalem accepit, & criminis authorem illam esse invenit, & simul cum matre sceleris consciam punivit. Denique quam potest certitudinem habere generatio lactis, quæ viris etiam accidere potest? Nam Aristoteles testatur, lac viris post pubem exiguum nonnullis exprimi; verumtamen per suctum frequentiorem, vel multum prodiisse. Cardanus se Venetiis triginta annorum virum, testatur, vidisse, cui non solùm lac, quod lactando puero sufficeret, sed quod saliendo proflueret, in mammis acervabatur. Vega concludens ait, non tantùm in fæminis, quibus menses defecerunt, lac generari sine conceptione, sed in viris etiam visum esse lac in mammis genitum, quod infans filius illius viri, orbatus matre, sugebat.

5. aph. 39.

in præcis. aph.

in aph. cit.

3. hist. anim. c. 20.

III. Signum ex colli mensura.

IN more positum erat apud antiquos, collùm puellæ, ad maritum ituræ, mensurare, ut inde signum caperent, sponsam virginem marito fuisse traditam. Hujus consuetudinis meminit Catullus his versibus,

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circundare filo.

in Epp. Pelei & Thetidis.

Experimentum autem hoc modò fieri solitum, existimat Mercurialis: colli mensuram prima nocte ante, quàm ad maritum iret, filo circundato capiebant: postero die mane eodem filo collum circundabant, quod si lațius, quàm ut filo comprehenderetur, inveniebant, defloratam esse eam noctē pro certo habebant, si verò nihilo majus evaserat, aut adhuc pro integra habebatur, aut anteà fuisse divirginatam censebant. Addit illè, non hoc præter rationem esse: siquidem, ut scribit Aristoteles, præcipuè vox mutatur in asperiorem, & minus acutam, pro tempore coitus inchoatur, ut qui vocem conservare velint, à coitu ipsi abstinendum sit. Cæterùm quanta mutationi vocis fides in hoc casu sit habenda, jam diximus.

7. hist. animal. c. 1.

Aliter, mensuram istam fieri solitam, narrat Pinæus, nempe filum per mediam frontem, ab extremo naso extensum, ad coronalem usque futuram puellæ extendebant; & sequente die videbant, an collum posset circundare. Sed utcumque sit, ficulneum est signum, & quod nullo nititur fundamento: quare inter anilia experimenta connumerandum.

Pinæus lib. 1. c. 5.

IV. Signum ex variis experimentis.

Gagates lapis suffitus morbum, sonticũ, & virginitatem deprehendit, ut ait Plinius, qui tamen non explicat, quam efficiat in virgine mutationem, ex qua virginitatem comprehendamus. Dalechampius ait non suffitum, sed à virgine jejuna in potu acceptum: quippe si puella incorrupta est, statim ei urina cietur. Idem narrari affirmat Paulus Zacchias, Æmilium Mac. qui de gagate sic ait,

Lib. 36. c. 19.

Med. legal. l. 4. tit. 2. q. 3.

Et solet, ut perhibent, deprændere virginitatem.

Multa alia idem Zacchias affert experimenta, ut lapathi flores, ex quibus suffumigata puella, si incorrupta sit, statim pallescit: item si mulieri ex melanthio suffumigia fiant, statim, si corrupta sit, urinam reddere cogitur. Xiloaloes & electrum ad eundem usum accipi, ait. Hæc omnia, licet cum Fortunato Fidele vana esse credat, tamen si quam veritatem, & causam naturalem habere possint, non illicò virginitatis corruptione id agere putandum esse, ait, nec in omnibus indifferenter veritatem patefacere, sed in iis tantummodò, quæ frequenti coitu virum longiusculo temporis spatio sunt expertæ: huiusmodi enim fœminis viæ magis patentes relaxantur, unde facilè ex prædictis medicamentis, urinam valdè cientibus, ipsa urina provocari nolentibus potest: quod difficulter, aut

Aemil. Macr de medic. mater. c. 19.

aut nullo modo in virginibus succedit, ob contrariam causam, viarum nempe angustiam, cùm & integræ membranæ, & cohærentia quoque ipsius uteri prohibere facilè possunt, ne suffumigata medicamenta ad interiora penetrent. Hæc Pauli Zacchiæ sententia, quæ omnibus medicamentis urinam cientibus quadrat, aut quoquo modo suffitu alterantibus. Cæterùm, ut ipse ait, vana isthæc experimenta esse creduntur, quibus adjungere possumus flores lilij croceos in pollinem redactos comestos, nam si est corrupta statim mingit, & alia huius census, quæ affert Alberti Magni Scholiastes: cuncta tamen magis ad circulatores, & nugiventulos, quam ad dogmaticos medicos spectantia.

Michael Scotus annotat. ad Alb. Mag.

V. Signum ex sanguinis effusione.

IN primo concubitu fœminam, quæ defloratur sanguinem emittere, & hoc esse amissæ virginitatis signum, constat ex sacris literis: quippe in Deuteronomio divinus Legislator sic ait: *Si duxerit vir uxorem, & posteà odio habuerit eam quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit, uxorem hanc accepi, & ingreßus ad eam non inveni virginem, tollent eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad Seniores urbis, qui in porta sunt, & dicet pater, filiam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat, non inveni filiam tuam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ: expandent vestimentum coram senioribus civitatis, apprehendentq; Senes urbis illius virum, & verberabunt illum condemnantes insuper centum siclis argenti quos dabit patri puellæ: quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel, habebitq; eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. Quòd si verum est, quod obijcit, & non est in puella inventa virginitas eijcient eam extra fores domus patris sui, & lapid. obruent viri civitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris & auferes malum de medio tui.* Hactenus Legislator. Considerare igitur oportet lege hac gravissimam pœnam imponi viro, si mulierem falsò accuset & multo magis mulieri, si verè accusetur. Quare crimen de quo agitur, probationem postulare meridiano Sole clariorem, ut J. C. loquuntur. Aut igitur probatio hæc facta ostenso sanguine in judicio, indubitatæ veritatis est, aut lex injusta, quam tamen, ut justissimam non recipere, foret nefas.

Cap. 22. n. 13.

Proh quot subterfugia authores quærant, ut huic signo certitudinem auferant? Offert se Mercurialis, qui temerè omnibus aliis signis, inquit, nullum minùs certum haberi, quàm quod à cruentatis indumentis capitur, ac propterea istud non ita firmum Moysen recipere voluisse, ne pe-

Var. Lect. cit.

ne penitus hominum peccandi concederetur. Sed quæram ab eo, utrũ hoc signo convictus vir puniretur, an lex esset duntaxat comminatoria? Si comminatoria tantum est, neque executionem paratam habet, profectò si semel aliquis non fuit punitus, jam innotescit impunitas, ac deinceps nullus legis minas timebit. Deinde etiam non est, unde constet, legem istam supplitium non inferendo, sed minaciter tantùm proponi. Si verò puniebatur quicumque hoc signo manebat convictus, impium est dicere, pœnam certam ex signo incerto posse statui. Quare arguendus est Mercurialis, qui parùm reverenter locum sacræ paginæ fuit interpretatus.

Horatius Æugenius affert in primis interpretationem, quam dicit esse Rabi Salomonis, ea est huiusmodi. Quemadmodum per expansionẽ, & dilatationem vestimenti, quicquid in eo continetur, clarè, & manifestè apparere potest, sic in accusatione huius viri, monet Seniores, ut rem diligenter inquirant, num adulterium fecerit mulier, an vir illius odio ductus malum imponat nomen, neque ferendam esse in re gravi sententiam, nisi priùs res ipsa in propatulo sit, illisque manifesta, ut pannus expansus omnes maculas existentes patefacit. Hæc interpretatio, cum sit metaphorica, sive allegorica, non tollit, quominus detur alia litteralis, nec eam tollere potest: Nam ad admonendos judices parabolicè, ut attentè agant, sufficiet vestimentum quodvis expandere, sed cruentatum servare, ut inserviat probationi, si quando oportebit, hoc majoris negocij est.

Adducit deinde aliorum opinionem, qui tenent, puellam, licet primo congressu cum suo viro cruentatum non reddiderit linteolũ, non esse pœna legis afficiendam, nisi per testes probatum fuerit, illam adulteriũ fecisse anteà nupta. Hanc explanationem, Æugenius putat, convenire cum sententia Rabi Salomonis: nimirum quòd requiratur alia veritatis indagatio, quàm per signa virginitatis: quorum defectu non foret punienda capite, ut illorum lex decreverat: At signa virginitatis nõ sufficiunt ad damnandum virum, neque rursus eorundem defectu damnabitur puella, cur lex ea proponit, neque aliis signis opus esse declarat? Aut ergo diminutus fuit legislator, quod neutiquam dicendum est, vel hæc expositio figmentum quoddam est.

Aliorum interpretationem adjungit. Videlicet cum virgines ad annum duodecimum inveniri sanguinem in primo concubitu, immo non esse locum marito, ut illam de adulterio accusare possit, quamvis nihil sanguinis emiserit. Posse tamen illam duntaxat accusare, si in coitu visum illi fuerit rem veneream secum habuisse sine aliqua difficultate,

neque

neque inter coeundum invenisse tantam locorum angustiam, quanta videri possit necessaria. Hæc etiam interpretatio vana est, immo & risui habenda: nam quo modo posset sponsus probare nullam reperisse in cõgressu resistentiam? Profectò fides esset apud accusatorem, quo nihil iniquius esse potest. Deinde si puella accusari nequit, ostenso vestimento cruentato, cum pervenerit ad annum ætatis duodecimum, illa ante hunc annum non est nubilis, ergo nunquam poterit hoc signo se tueri. Præterea etiam si præcipua causa, ob quam recentiores non habent fidem signo huic, sumpto ex sanguinis effusione, est, quoniam potest dolo aliquo simulari, ut si puella ad maritum prima nocte ingrediatur, eo tempore, quo fluunt menstrua, aut si vesiculam sanguine plenam apponat utero, aut quolibet alio modo, si inquam, hoc signum potest fallaciter fingi, ac propterea indignum judicatur, cui fides habeatur, cur fidem habebimus alteri signo magis fallaci, videlicet defectui angustiæ uteri? Quippe quotidie videmus contingere, ut lenarum dolo, & astutia puellæ jam prius corruptæ, medicamentis impensè astringentibus specimen virginitatis acquirant, quo viros complexu virginis se frui existimantes decipiuntur, seu potius capiuntur.

Pergit Æugenius, & Nicolai Lyrani, qui metaphoricè etiam verba legis interpretatur, sententiam refert. Is postquam Theologorum opinionem, qui tenent, patrem, & matrem sub sigillo autentico linteũ cruentatum servasse, ut fidem faceret, adjungit hæc verba, *Sed hoc videtur valde turpe, quod pannus talis expanderetur coram judicibus, propterea non est verisimile, quod vir eius auderet falsò accusare, cum sciret parentes uxoris habere testimoniũ prædictum suæ virginitatis, quia erat consuetudo communis sic servare pannum secundum istam opinionẽ, & ideo aliter exponunt Hebræi, dicentes, quòd hæc est locutio parabolica, cum dicitur, expandent vestimenta, &c. id est per verba testium declarabunt, & explicabunt virginitatem filiæ suæ, sic explicatur pannus.* Itaque Lyrano videtur valde turpe, si pannus coram judicibus expandatur, cum tamen ad inquirendam veritatem nihil turpe videri debeat. At quòd maritus sciens servatum esse linteum in testimonium amissæ virginitatis, non auderet mulieri imponere nomen valde pessimum, hoc quidem rationi consonum est, sed redundat in laudem legis, quæ timorem incutit, ne quis eam transgredi audeat. Si quis tamen existimans non amplius à parentibus linteum servari, falsò uxorem accusaverit, decidet in foveam incautus, ut dici solet.

Dicunt alii, quod in illa regione accidisse semper propter peculiare temperamentum, aut propter alias conditiones: præsertim dicunt in omnibus mulieribus illius regionis membranam quandã, de qua mox disputabi-

putabimus, reperiri. Sed hoc gratis dictum videtur, neque ulla est ratio, ob quam ita existimare cogamur.

Carrerus existimat, legislatorem tulisse sententiam habita ratione ad id, quod est magis universale, & magis certum, & ideo præcipisse, ut illa crederetur virgo, cuius parentes ostenderent, linteum sanguinolentũ. In hoc autem est omnino contrarius Mercuriali: qui (ut vidistis supra) signum hoc sumptum ex effusione sanguinis esse adeò incertum, ait, ut nullum eo minus certum haberi possit. Addit Carrerus, licèt signum istud omnino certum non sit (potest namque mulier artificio, ut diximus, virginitatem mentiri) voluisse tamen Deum, ut sufficeret ad probationem. Hoc sanè non est recipiendum; repugnat divinæ Iustitiæ, ut probatio certa fiat testimonio incerto: nisi velimus dicere, Deum huic signo incerto certitudinem supernaturaliter tribuisse: verum hoc esset multiplicare miracula.

Cæterùm adjungit Carrerus, si vel pater linteum non servavit, vel filia, quia grandæva erat, non effudit sanguinẽ, non propterea illa damnabatur. Colligit hoc ex verbis sacræ paginæ: neque enim damnandã esse, ut corruptam, cuius pater pannum illum hoc efferret, sed ait: *Quod si verum est, quod objicit, & non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores patris sui, & lapidibus obruent:* nempe si aliunde huius criminis convicta fuerit, & alio modo ipsa, & parentes eius non potuerint ipsius virginitatẽ defendere. Illud ergo remedium (concludit Carrerus) erat quidem sufficiens, minimè tamen necessarium ad defensionem puellæ, quasi dicat, erat sufficiens, quia si adesset, Deus voluit, ut sufficeret, neque enim præsumitur fraus, nisi probetur, sed non erat necessarium quoniam si deesset, poterat virginitas aliunde, nempe ex aliis signis, testimoniisque probari. Verumtamen non omninò satisfacit, quoniam signum hoc singulare, & solitum à lege datum & sufficiens, & necessarium haberi debet, quod adhuc libet inquirere.

Expositio propria.

INcipiam à virginitatis descriptione, non quidem respiciens ad mores, hoc est, ad castimoniam, sed, prout ad præsens institutum spectat, à constitutione vulvæ. Hanc alii aliter describunt: mihi placet virginitatem appellare oris uteri, nunquam anteà virili membro pervii, clausuram. Sic clausura erit loco generis, comprehendens tum mulieres, quæ artis ope apertum jam priùs concubitu os uteri recludunt: tum etjam alias, quæ absque fraude, cum unico concubitu fuerint corruptæ, tractu temporis ad uteri coarctationem reversæ, virginitatem præ se tu-

lib.4.med. legal.tract. 2.q.3.n.5. lerunt, de quibus Zacchias. Sed omnes istas excipimus, adjungentes os uteri nunquam anteà virili membro pervium: quippe per hæc verba inviolata virginitas, & nativa clausura denotatur.

Animadvertendum tamen est, cum nobis sermo sit de signo ad cognoscendum, adsit ne, an deperdita sit virginitas, non habere hic locum mulieres, quæ atretæ vocantur, seu imperforatæ, quas inter monstrosas 4.gen.anim. c.4. Aristoteles recenset, & de iisdem Plinius, *quasdam*, ait, *concreto genitali gigni infausto omine, Cornelia Gracchorum mater indicio est.* Plin.lib.7. c.16. Hæc virgines quidem sunt, sed violari nequeunt: quare in eis non est in dubium vocandum, an virginitatem amiserint, dicente Aristotele, *In fœminis nonnullis os uteri compressum, concorporatumque ab ineunte ætate ad tempus usque menstruorum perseveravit, mox urgentibus menstruis, doloreque infestante, aliis sponte disruptum est, aliis dissectum à medicis, nonnulla interierunt, cum aut per vim disrumpetur, aut disrumpi non posset.*

Verùm verò virginitas deperdatur, rupta pellicula aliqua, in qua claustrum virginale consistat, an sola labiorum uteri separatione, mox inquiremus. Hoc unum priùs statuere oportet, cum *Couarrubiensio necesse esse, ut in virginitatis amissione effluat sanguis. Effluet autem plus, minusvè pro ratione temperamenti, ætatis, compositionis partium. Itaque signum ab effusione sanguinis, nisi efficax esset, non proponeretur à Legislatore; proponitur ergo & tamquàm sufficiens, & tamquam necessarium.

*Aliàs Valles: *De sacra phil. c.27.*

Dicunt prædicti authores præter unum, sufficiens non esse, quippe fraude potest fingi ita, ut decipiat maritum. At respondeo, marito incumbere, diligenter inquirere, an subsit fraus, & dolus, quod colliget tum ex interrogatione eorum, qui notitiam habere possent, tum ex difficultate, & resistentia in ingressu. Quod si his diligenter peractis, fæmina sanguinem emisit, non nisi vim magnam passa fuit violata, & reliqua consentientia fuerunt, ac proinde puella viro placuit: quod semel placuit, ampliùs displicere nequit. Vnde lex vult, ut maneat probata virginitas, alioquin toto vitæ tempore esset locus marito, ut quacumque discordia oborta, posset emendicatis testibus uxori nomen pessimum imponere, ad quod evitandum, meritò hoc signum, jubente lege, sufficiens censetur. Addo, si sanguis maculæ in linteo autenticè sigillato ostendantur, fidem facere: maritus arguat falsò fuisse sigillatum, quippe fraus non præsumitur, nisi probetur.

Necessarium esse negant omnes: quippe potest mulier vel propter ætatem valde productam, vel quia parentes linteum amiserunt, non habere facultatem ostendendi magistratui sanguinis effusi vestigium.

Ad

Ad hoc etiam respondeo, mulierem inprimis in ætate, quantumvis matura, semper cum defloratur pati dilacerationem talem, quæ sufficiat ad effundendum sanguinem, præcipuè quod puella sub parentibus adhuc vivens (ut supponunt verba legis non potest ratione ætatis carere sanguine. Si autem pater linteum amisit, hoc parum refert: nam linteum cruentatum quando patri commissum fuit, debuit consanguineis & affinibus, qui aderant ostendi, unde per testes probare potest, linteum illum die nuptiatum fuisse. Securè in hoc se gerunt Fessani Regni gentes in Africa, & aliæ Orientales, quarum mores nobis historici recentiores narrant: quippe dum nuptiale convivium paratur, peractis ceremoniis, ante quàm convivæ mensæ accumbant, sponsus sponsam in cubiculum deducit, expectat pro foribus anicula, donec ei sponsus linteum sanguine maculatum tradat, cui applaudunt omnes, & convivium celebratur, sin linteum sponsa suo sanguine non tingit, ij, qui fuerant invitati, discedunt mæsti, & sponsa infamiæ nota satis maculata parentibus restituitur.

Demùm lex, sanguinem effusum necessarium signum esse, putat, nam si fortè sponsa sanguinem non effudit, & sponsus tunc tacuit, quia tacet consentire videtur, & matrimonium consensu viri ratum manet, quippe in ejus potestate erat uxorem corruptam, & nomine pessimo maculatam accipere. Atque ita manet in suo vigore lex, neque est, cur deminutum censeatur signum, sacræ paginæ approbatione confirmatum.

VI. Signum ex membranula claudente os uteri.

INterceptum aliquod esse ori matricis adnatum, quod rumpitur, quando virginitas corrumpitur, multorum sententia est: verùm qui ita sentiunt, non omnes uno, & eodem ore loquitur. Arabes, ex venulis panniculum contexi, volunt: quippe Avicenna, ante violationem, inquit, sunt in ore matricis panniculi contexti ex venis, & ligamentis subtilibus ortis ex membro, quod destruit violator, & currit, quod in eis est sanguinis. Averroes hujus est opinionis, hujus etiam Rhasis, qui, venas constituentes panniculum quinque esse, declarant. Hanc texturam interpretes Arabum centonem appellant. 21. lib. tract. 1.

Fallopius, postquàm Sorani sententiam retulit, sic ait, pace tamen tanti viri dixerim, quod mihi potiùs videtur membrana non admodùm crassa, atque in medio, annuli modo, perforata, quæ, posteà lace- Pagin. 471.

rata in stupro, ac præter modum distenta, dolorem incutit, & tandem veluti in viris fit, dum laceratur glandis frænum, evanescit. Itaque membranam istam nerveam, non carneam esse dicit, neq; esse integram, sed habere foramen, per quod minus digitus ingredi possit, atque per hoc foramen egrediantur menses. Cæterum Bauhuinus varias circa hujus tunicæ figuram, & substantiam opiniones refert: quippe eam alii crassam, alii tenuem, eamque alii cribri modo, alii initio solùm transversim perforatam, alii in colli medio dari scribunt.

Anat. lib. 1. cap 39.

lib. 5. c. 15.

Vesalius, carneam membranam virginibus peculiarem, esse ait: in cæteris namque mulieribus coitu, aut petulanti quopiam attritu divulsa. Prosequitur deinde figuram, situm, substantiam, & rimulam hujus membranulæ explicare, quæ omnia apud eum videre licet: in præsens enim sufficit scire, hunc celebrem anatomicum membranam virginalem admittere, quam cum plerisque aliis hymen, sive eugion appellat. Hymen dicunt aliqui, quasi limen, eugion verò vox est, qua vetustissimus Comicus Nævius utitur inquiens, sine eugio puellam invenit, vitiatam subindicans. Lucilus eugium & hymen simul conjungit: quo loco Nonius pro media parte inter naturalia muliebria accipit. Catullus Zonam virgineam vocat. Advertere tamen hoc loco oportet, Vesalium non negare membranam istam, immo eam, ut dixi ex professo describere: negat tamen centonem venarum ab Arabibus, ut diximus, adductum: quare immeritò à Carrero ponitur inter eos, qui membranam istam negant.

in epist. & Hym.

Non dari prædictam membranam opinio est multorum, inter quos primo loco memorare licet Soranũ à Fallopio, qui noluit foramen, quod in virginibus adest, esse membraneum, sed potiùs esse ipsius sinus muliebris angustias factas ex quibusdam rugis collectis, quæ à vasis, ex utero illuc prodeuntis, contrahuntur in stupratis virginibus, atque dum vasa dicta disrumpuntur, dolorem pariunt, & sanguinem, veluti si mactata esset victima, effundit.

Realdus Columbus fatetur, aliquibus, non tamen omnibus virginibus sub nymphis membranam cerni, hymen à veteribus appellatam, quæ, cum adest, ratò tamen adest, obstat, quo minùs penis in uterum immittatur. Idem sentiunt Marcellus Donatus, Fernelius, Capivaccius, Niccolus Florentinus, Vallesius, Horatius Æugenius, Oribasius, Paræus, & pleriq; alii: immò verò Andreas Laurentius putat, si aliquando virginibus hæc tunica adnascatur, esse morbũ in conformatione, ac proinde rem præter naturam. Ducuntur aliqui ratione ad negandum hanc membranam, quoniam scilicet Galenus diligens alioquin anatomicus, nullibi

Marc. Donat hist. medic. l. 4. c. 15 Fern. l. 1. c. 7. Cap. l. 4. c. 2. Nicc. serm. 6. tr. 1. c. 6. & serm.

nullibi ejus mentionem facit: sed ad hoc responderet Vesalius, Galenum neque semel uterum dissecuisse. Alii dicunt, naturam nihil facere frustra, at hæc tunica, si esset, frustra esset, neque enim apparet, in quem usum sit facta. Cæterùm multa sunt facta ad ornatum, alia ad meliorem aliorum membrorum custodiam, neque est extra rationem, virgines hoc habere claustrum, quo meliùs custodiantur, neque sine magna vi corrumpantur.

8. tr. 3 c. 30. Vall ubi supra Æugen. tom. 2. epist. 1. c. 4. Orib. l. 24. c. 31. Par... Laurent. l. 7. c. 12.

Non præteribo, tametsi in signis masculæ integritatis vocem diximus, non esse signum in ratione aliqua fundatum, nihilominùs in fæminis inter signa vera recenseri, non tamen ita, ut per se solum sufficiat, sed quòd aliquantulum ad rem faciat, quippe coitu dilatatur aspera arteria: confirmatur exemplo. Fertur, Albertum Magnum ex musæo suo puellam ex œnopolio vinum pro hero afferentem in itinere vitiatam fuisse, quod ille deprehendit, nam puella in reditu cantillans mutatam habebat vocem ex acuta in gravem. Suspicatur Rodericus à Castro, (qui se per totam Europam notissimum in suo lib. de morbis mulier. nominat) potuisse etiam Democritum ex voce comprehendere, comitem Hippocratis fuisse violatam, siquidem eam pridie salutavit, inquiens, *salve virgo*, postridie *salve mulier*. Verùm cognitionem hanc sumptam fuisse ex voce, nemo est qui dicat.

Roderic. à Castr.

Signum aliud affert Zacchias, quod reperit apud Pierium Valerianum, ait enim Pierius in suis *hyeroglyphicis*, apes acriter, ac promptissimè in eos invehi, illosque aculeis petere, qui recenter mæchati fuerunt, sed in mulieres, quæ Veneri operam dederint, acriùs, ac promptiùs invehuntur. Causam refert ad harum bestiolarum castitatem, cujus meminit Aristoteles, & eam Virgilius suis carminibus celebravit. Cæterùm si hoc verum sit, solum inserviet ad cognoscendum recens stuprum, non autem antiquum.

lib. 3. gen. anim. c. 10.

Corollarium.

Adducta signa partim falsa sunt, partim non perpetua, sed inter omnia illud, quod sumitur ab intersepto, seu membrana, quamvis pro se præstantissimorum authorum habeat testimonia, cum tamen ex adverso Anatomici fide digni plana fide testentur, se aliquas vidisse, quibus hæc tunica non aderat, non possumus ei acquiescere: quare solum duo extant quæ possunt indubitatam fidem facere; Vnum est inspectio facta ab obstetricibus, quippe sive tunica sit, sive non sit, quæ rumpi

possit, sive etiam venæ rumpantur, sive non rumpantur, certissimum tamen est, locum apparere valde dilaceratum, & uteri collum, membranulasque ibi existentes, myrtina folia referentes, relaxatas, atque disruptas. Alterum est effusio sanguinis, nam sive detur duntaxat angusti valde transitus violenta apertio, sive partium divulsio, & confricatio valde vehemens à pene facta, sive jam dicta partium dilaceratio, & venularum, quæ eò deveniunt, abrasio, sive omnia hæc simul fiant, non potest mulier non effundere sanguinem. Quare præter opinionem multorum, qui tenent, nullum dari indubitatum virginitatis signum, magis consentaneum existimo esse, prædicta signa esse vera, & perpetua, atque ex his posse virginitatem sinè dubio agnosci.



DISPVTATIO SECVNDA.

Virne an fæmina majorem in coitu sentiat delectationem?



De genit. *9. de animal. c...* *Cal. Rhod. lib. 14. c. 3.*

Controversiæ hinc locum præbet Hippocrates, qui ait, *Cæterum multò minus delectatur fæmina quàm vir in coitu, & vir etiam tempore longiore.* Avicenna verò, quem citat Cælius, extensivè duplicari in fæmina concubitus voluptatem ait: quia præter seminis motum, & orificii vulvæ in sugendo, nascitur quoque oblectatio vulva ipsa diversimodè mota. Quid autem intelligat quando ait voluptatem extensivè, dubium videtur. Nam si extensivè denotet durationem erit Avicenna Hippocrati contrarius, siquidem Hippocrates virum ait delectari tempore longiore: quare existimo extensivè dici quoniam pluribus de causis fæmina delectatur, nempe vulva in suctione & in confricatione.

var. lect. lib. 4. c. 16. Nihilominus Mercurialis corrigit verba contextus Hippocratis, ex codice antiquo manuscripto, ubi legitur mulierem in coitu minus viro delectari, sed diutius ipso perdurare in voluptate, & hanc correctionem præfert alteri lectioni, quippe verissimum putat virum, qui calidior est muliere, velociores motus obtinere, quorum merito ardentius, & citius defi-

desideria sua terminat. Mulier verò, ut est frigidior, sic in voluptate finienda frigidiusculè se habet, ac perdurat magis.

Hanc correctionem esse ex mente Hippocratis (potius Polibi, qui illius libri author censetur) non monstrant ipsius verba, nempe, *& siquidem appetit viro comisceri, prius quàm vir emittit, & de cætero non similiter delectatur: si verò non appetit, simul cum viro delectari desinit, & habet res hoc modo, quemadmodum si quis in ferventem aquam alteram frigidam infundat, illa fervere cessat.*

Cæterum antiqui considerantes difficile esse dirimere hanc controversiam, Tiresiam finxerunt, quem utrumque sexum dicunt fuisse expertum, & litem inter Jovem, & Junonem in hunc modum diremisse, *viri ardentius, mulieres pertinacius amant.* Sic Arabum opinio intelligenda est, qui majorem mulieri quàm viro voluptatem tribuunt, ut scripsit Mercurialis.



DISPVTATIO TERTIA.

In quo consistat actio quæ perfecta conceptio est.



Viris etiam ut mulieribus infæcunditas accidit, verùm non est nostrum agere de infæcunditate virorum, quippe ea duntaxat quæ muliebri sexui accommodantur, pertractamus. Cum autem de mulierum sterilitate agendum sit, & sterilitas non sit aliud formaliter quàm privatio muneris concipiendi, cùm rursus privatio rectè cognoscitur per suum habitum, antequam de sterilitate agamus, oportet de conceptione agere. 18. Lectio.

De facultate concipiendi parum est quod dici possit: nam ea sub facultate generandi comprehenditur; solùmque differentia est, quòd generare pertinet tam ad marem quàm ad fœminam, concipere ad fœminam duntaxat. Generandi autem facultas una est ex naturalibus, quam multi cum nutriendi facultate eandem faciunt, neque profectò in alio differunt, nisi quòd generatio fiat in subjecto nondum constante, nutritio in jam constante. De actione verò concipiendi, in quo scilicet consistat, ambiguitas esse potest.

Vallerіol 1. loc.comm.c. 8. Peram. lib.de procr. hō c.1. Lalamant.lib.de octim.part. schol. 15. 1. de sem. c.2.

Nonnulli inter quos referendi sunt Valleriola, Peramatus, Lalamantius tenent conceptionem consistere in seminis tum attractione, tū retentione. Alii sunt qui existimant conceptionem esse commistionē utriusque seminis cum priore parte sanguinis. Priores suam sententiam probant autoritate Galeni, qui conceptionem, quasi comprehensionem à mulieribus, fuisse dictā scriptum reliquit. Vnde præcitatus Valleriola hanc conceptionis definitionem nobis tradit, conceptio nihil aliud est, quàm genitalis seminis in utero mulieris ad fætus generationem cōprehensio. Iuxta quam definitionem & horum authorum opinionem conceptio est quidpiam antecedens generationem.

1.gener.anim. c.8.

Posteriores probant suam opinionem autoritate Aristotelis, qui ait generationem id vocari, quod à generatione proveniens causa est, quæ prima obtineat principium generationis, videlicet in his quæ coire natura voluit, semen autem est quod ex ambobus illis originem trahit, quale semen plantarum omnium est, & animalium nonnullorum, in quibus sexus distinctus non est, velut id *quod ex mare & fæmina primum miscetur quasi conceptus promiscuus quidam aut animal*, & alibi sic, *à maris semine affertur, quod principium ubi fæmina excrementum receperit, conceptus fit*, & alibi *conceptum appello primam ex mare & fæmina misturam*. Iuxta hanc posteriorē sententiā conceptio & principium generationis. Cæterum cum prædictarū opinionum utraque nihil aliud requirat in utero quàm attractionem & retentionem, Fernelius ulterius progreditur, asseritq; conceptionem esse propriam, & peculiarem uteri actionem, qua seminis potestas exsuscitatur, & insitum sibi munus obit, & exequitur. Itaque arbitratur edere uterum peculiarem actionem in semen, sine qua non potest munus suum obire. Capivaccius istam actionem alterationem appellat, aitque conceptionem secundum naturam nihil aliud esse, quàm seminis fæcundi alterationem procedentem ab alteratrice uteri, propter speciei conservationem quasi dicat naturam conservationis speciei solicitam tribuisse utero alteratricem vim quæ semen prolificum alterat in naturam fætus.

Et lib2.c, 23. Lib.1.c.20. Lib.7.c.8. 4.De affec. uter. c.5.

Refellitur prima opinio.

NOn sufficit etymon, ut dicamus attractionem & retentionem comprehensionem esse, comprehensionem verò & conceptionem idem. Ita sentit Fernelius: quippe ait, neque profectò attractio, neque retentio conceptio est, tametsi id ratio nominis videtur indicare; non rarò enim avidus uterus semen attraxit, sed biduo aut triduo finit elabi. Hoc indicat manifestè Hippocrates: si enim signum quo cognoscimus an mulier

De genit.

lier conceptura sit nec ne, est, si postquam coiverit, semen foras effundat, an intus retineat, jam constat retentionem esse ante conceptionem: alioquin non diceret Hippocrates si mulier conceptura est, sed si conceperit, imo alibi clarius ait, si læves igitur fuerint uteri, mulier in ventre non cõcipit: nam genituram suscipiunt quidem uteri, si non aliqua causa obstiterit, non autem concipiunt, sed semen foras emittunt. *De steril.*

Nec solum attractio, sed retentio etiam potest dari sine conceptione, id patet ex eodem, dicente, *si verò ubi cum viro coierit, postridie detineat genituram, & neque die exeat &c.* & paulò infrà, *si verò non conceperit, sed secunda aut tertia die exeant, quæ à viro immissa sunt*: ex quibus colligitur Hippocratem voluisse non nisi post retentionem sequi conceptionem. Iccirco Hippocratis consilio ibidem, jubetur interrogari mulieres quæ non concipiunt, an statim eis exeat genitura, an postera die, an tertia, aut sexta, ut admoneat mulierem, si parati fuerint uter, etsi genituram ad decem aut duodecim dies detinuerit, ne virum adeat. Id etiam probat historia quam narrat *in libro de natura pueri* à Galeno sæpius repetita, de muliere cantatrice quæ se concepisse credidit, eo quod semen post coitum ei intus remansisset jussa est ab Hippocrate saltare & postquam septies jam exiliisset, genitura in terram profluxit. Denique nec si semen trahatur, nec si retineatur aliquid amplius. Hoc etiam potest ostendi ex Hippocrate, si velis noscere an conceperit mulier, cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam dato, supponit semen jam fuisse retentum & dubitari an conceperit. *De morb. mulier.* *5. aph. 41.* *Vide Ar. 4. gen. animal. c. 7. ubi agit de mola, & iam accidit mulier cuidam ut cum concubuisset. &c.*

Refellitur secunda opinio.

NEque etiam aliorum opinio quæ tenet conceptum esse permistionẽ utriusque seminis cum priore parte sanguinis caret repulsa: quippe Hippocrates si genitura, inquit, utriusque permanserit in utero mulieris, primum quidem simul miscetur, utpote muliere non quiescente, coacervaturque ac crassa per calorem evadit, deinde spiritum concipit nempe in calido existens, & postea matre spirante: verba illa, spiritum concipit, conceptionem significant, quæ fit postquam materia à calido crassior evadit, hoc est post permistionem eius à calore factam. *De natur. pueri in princip.*

Tertia opinio præfertur.

ALia opinio est primam animationem fœtus esse conceptionem: statim enim cùm vivere incipit dicitur conceptus, & actio, qua fit di-

citur conceptio. Et in opinione Aristotelis, qui primam partem quæ producitur, existimat esse cor, quum cor factum est in ordine ad articulationem sequentem, dicitur conceptus, & animatio conceptio.

Mihi sanè videtur tam juxta primam quàm juxta secundam & tertiam opinionem appellari: cæterum titulo quæstionis in quo quæsivi in quo consistat perfecta conceptio, respondet ista tertia opinio: nam cætera conceptionis significata imperfectam, & minus propriam conceptionem significant, ita tertia perfectam. Sic apud autores invenietis conceptionem appellari juxta omnem acceptionem: attamen ex adjectis intelligetis an loquantur de perfecta & propria, an de imperfecta & impropria.

Itaq; ex sententia. Fernelij prima uteri actio est attractio, qua uterus afficit semen: secunda est seminũ permistio:, quòd autẽ fit actio uteri probatur, quia aut permiscentur à se, aut ab alio, non à se, quia non semper emittuntur eodẽ tempore, nec utrumq; semen in eodem loco ejaculatur: ergo ab alio agente: nullum autem est aliud præter uterum. Tertia actio uteri est retentio in qua manifestum uteri motum sentit mulier. Postrema uteri actio est seminum suscitatio & hanc conceptionem vocant. Cæterum mihi videtur potius post attractionem sequi retentionem, post retentionem permistionem, idque probo ex Hippocrate, qui ait, *De natura pueri.* genituram ubi in utero permanserit, permisceri, cùm autem permanentia fiat beneficio retẽtionis jam supponitur ad permistionem. Aliqui dicunt attractionem non differre à permistione: quippe per attractionem unum semen alteri juxta ponitur, cæterum non sufficit qualiscumque juxta positio verùm secundum minimas partes permistio, sic enim permistionem *lib. 1. de ortu & interitu c. 10.* fieri dixit Aristoteles. At hæc permistio requirit tempus, si igitur aliquo tempore semen permanet, hoc non fit nisi operante retentrice.

Damnant aliqui Fernelium quasi voluerit totam generandi actionem utero tribuere, ut videtur ostendi posse ex quarta actione, in qua conceptionem consistere ait, nempe conceptionem consistere in actione, qua uterus suscitat semen, accusatur etiam quia uteri actionem comparat actioni ventriculi, quippe uterus trahit semen & illud suscitat non secus, ait ille, atque ventriculus tractum contentumque alimentum cõficit, ut enim coctio ventriculi, sic conceptio uteri propria est actio: accusatur inquam, quia ventriculus nullũm trahit principium quo conficiat alimentum, uterus verò trahit semen, ergo par ratio non est.

Immeritò tamen Fernelius damnatur, nam quòd attinet ad primũ, rectè ille dicit esse conceptionem propriam & peculiarem uteri actionẽ, qua seminis potestas exsuscitatur, & insitum sibi munus re ipsa obit, & exequi-

exequitur: quemadmodum enim terra ferax, & fæcunda susceptum semen suo calore fovet, deinde excitat & ad parturiendum pellit. Sic uterus fæcundus ingenita vi quæ alteri nulli parti est concessa sopitam seminis vim & delitescentem in eo potestatem excitat, & ad agendum stimulat, ut energia fiat, & dicatur, tunc temporis semen opus aggreditur & suscipit, quod nusquam antea agere potuisset, alioquin enim mas solus in se ipso generaret.

Ex his constat eius sententiam non esse utero per se soli generandi vim tribuisse, sed semini in quo generatrix vis inest. Quod vero attinet ad similitudinem: similitudo non tenet in omnibus, sed in eo de quo res agitur. Vt n. ventriculus propria virtute, & actione conficit alimentum, sic uterus conceptionem, ad quam nullum aliud agens trahit, licet respectu ulterioris actionis sit diversitas.

Sed quoniam Fernelius uteri actionem in semen necessariam esse probat, deducens ad inconveniens: nempe quia alioquin mas conciperet in se ipso. Peramatus, hoc inconveniens non sequi, nititur monstrare: primò defectu uteri, neq; enim mas habet instrumentum aliud cavum, quo semen excipiat: secundum ob defectum materiæ, nam (ut Galenus ait) omnis facultas, si competens desit materia, ociosa est, & maris semen facultates in se ipso possidet, actionem vero non nisi circa materiam, fæmineum scilicet semen, & menstruum sanguinem obit. Quamvis enim semen viri materiam præstet fætui, exiguam tamen, & defectuosam præbet.

Tertio non sola vis aut masculi, aut fæminæ sufficit ad generationem, sed utraque est necessaria: in plantis, in quibus sexus non sunt separati, utramque vim conjunctam posuit Aristoteles, quoniam utraque erat procreationi necessaria: ea ergo quæ sexus habent separatos, conveniant oportet, ut ex ambobus semen unum proveniat procreandis liberis aptum.

Frustra tamen his rationibus Fernelii opinionem oppugnare conatur. Nam quod attinet ad primam, defectus uteri non est impedimentum sufficiens, nam non deest in masculo cavitas, quæ si non sit valde ampla, solùm efficiet ut magnitudo non sit tanta, quanta est in capacitate uteri. Ad defectum materiæ respondetur non deesse masculo sanguinem, ex quo posset simul cum semine fætus efformari, qui post efformationem, sanguinis quantum sit satis, attraheret à renis sine patris nocumento. Ad tertium quod supponit necessarium utrumque semen ad generationem, responderi potest non esse certum hoc theorema, imò verò non desunt qui existiment oppositum probabilius esse, hoc est semen

fæmineum non esse necessarium : ex fundamento igitur incerto certa propositio elici non potest. Aristoteles autem in plantis fæminæ & maris vim conjunctã posuit, non quòd cognosceret fæminas in generatione semen præstare : nam hoc manifestè rejicit, sed quasi dicat plantas, quoniã conjungi non possunt, non expectare incitamentum unius ab altero, sed illud unamquamque intra se ipsam habere.

Quod si virago, quantumvis calida sit, & semen habeat crassum, non concipit intra se ipsam, non est quia semen perfectum, debet esse ex duobus compositũ, sed quoniam muliebre semen, quantumvis coctum & crassum lentumq; non potest eam habere perfectionem, quam habet semen virile, quare virile semen non indiget ad sui perfectionem fæmineo, at fæmineum indiget virili: Sic etiã ova subventanea perfectione carent, quippe ex defectu seminis masculini perficientis, deficit in eis perfectio. Miraculosus Deiparæ Virginis conceptus, non debet in argumentum trahi, siquidem fuit factus (ut ait Poeta valde celeber) *naturâ mirante*.

Maneat ergo ratum Fernelium rectè fuisse argumentatum, nempe si uterus non ageret in officio conceptionis, posset extra uterum mas etiam in se ipso concipere. Cæterum relicta Fernelij ratione, non desunt aliæ magni momenti. Præcipuè quia si utrumque semen Deus poneret in alio loco extra uterum, poneret & sanguinem menstruum, & tunc conceptionem relinqueret suæ naturæ, non adhuc fieret conceptus : signum manifestum aliquid uterum præstare, siquidem ad eius absentiam cessat concipiendi actio. Quod autem non fieret conceptio extra uterum, probari potest exemplo plantarum: quippe si earum semen alicubi extra terram collocetur, non germinabit ex semine planta. At terra subit vicem uteri teste Aristotele, si ergo eius absentia facit ut semen non prolificet, idem eveniet in animalibus ob absentiam uteri. Deinde probatur, quoniam venæ & arteriæ quæ in utero sunt, per quas fætus & alitur, & respirat, & ligatur, non reperiuntur alibi, cùm ergo natura utero tribuerit omnes commoditates, quas fætus ante quàm in lucem veniat, requirit, consentaneum videtur tribuisse etiam ei aliquam qualitatem, qua semen possit excitare, & educere de potentia ad actum. Confirmatur hoc, quoniam ut ex Galeno constat ea membra quæ autogena sunt, hoc est sui generis, & nulli alteri similia, peculiarem habent vim nulli alteri communem. At uterus membrana quædam carnosa intus aspera substantiam habet, qualem nulla pars obtinet, igitur habet etiam actionem quæ differt ab aliis actionibus.

Siquis autem quærat quæ nam qualitas sit isthæc quæ ab utero producitur? reperiet aliquos qui respondent esse calorem vitalem, nam ut

constat

constat ex Aristotele ex ovis pullu generantur, quando foventur calore nativo, nec oportet aliam qualitatem imaginari, quam gallina incubans producat in ovis. Cæterum hæc responsio non tenet: nam secundùm eam corruet tota præcedens machina: quippe si vulva non præstat aliud, quàm calorem nativum, utique quælibet pars extra uterum calore nativo est prædita, ac proinde poterit producere in semen id quod producit uterus. Consentaneum magis est respondere, uterum habere qualitatem, diversam à calore naturali: nam si semen ponatur iuxta cor, ubi calor naturalis valde abundat, non adhuc ibi semen fætum ex se producet. Similitudo autem ab ovis sumpta non concludit, nam ova etiam à calore extraneo foventur, & in pullos evadunt: quod constat ex eo quod in Ægypto (ut refert Scaliger) contingit, ubi ovorum multas centurias in fornicum superiore planitie disponunt, & statis diebus erumpit pullorũ turba, quos illi non numero, sed mensura venales habent. Modiolum statuunt sine fundo, quem ut complerunt, tollunt. At non sic de animalium ortu existimare libet; quare nihil prohibet hominum, & reliqua animalium semina in uterum injecta indigere aliqua qualitate ab ipso utero sibi communicata, ut in actum reducantur. Excitat igitur qualitas hæc semen ad operandum, nempe, disponens semen, ut facultatem quam habet reducat in actum.

An semen sit animatum.

PRæcipuum fundamentum quo Peramatus utitur ad excludendam actionem uteri in semen, est quia semen animatum cùm sit, per se ipsũ potest vegetantis animæ actiones edere, hoc tamen valde controversum est, & contraria opinio præstantissimos authores pro se habet: interim tamen scire oportet; tametsi ex hypothesi concedatur semen esse animatum anima vegetativa, qua potest nutriri, & crescere adhuc non cõcluditur non esse necessarium, ut ad generationis opus sublime ab alio adjuvetur, & extollatur.





DISPVTATIO QVARTA.

18. Lectio.

Quid conferat fæmina ad fœtus generationem.



VEtus controversia est adversus Aristotelem suscepta à Galeno, an mulier in operæ generationis præstet suum etiam semen. Hanc nos in nostro de *Meteoris Microcosmi libro & commentario in librum Hippocratis de alimento* protinus in lucem exituro agitavimus, in qua multi etiam alij summa cum gloria versati sunt, quare per summa tantum capita libet rem hanc paucis absolvere.

Quid senserit Aristoteles de fæmineo semine.

1. de gen. animi. c. 20. ex professo probat non dare semen famineum: vid. ibi.

NOtissimum est in Aristotelis doctrina fæminam non conferre semẽ ad generationem: nam si semen, inquit, esset, menstrua non essent, iccirco autem illud non est, quia hæc sunt. Hoc confirmari potest, quia menstrua sunt sanguis imperfectè coctus, semen autem perfecta coctione fit: quare non potest coctum simul & crudum in eadem actione, & ad idem opus excerni.

*

2. gen anim. c. 19. 2. gen. anim. c. 4. 5. gen. anim. c. 3.

Fatetur Philosophus à fæminis in uterum transmitti humiditatem quandam cum voluptate, idque probat quoniam, ut maribus, sic & fæminis accidit noctu per quietem, quod pollutionem appellant. Cæterum hunc humorem nihil ad conceptum conferre affirmat: neque etsi emissuræ aliquando sunt, infæcundum.

Probatur etiam hanc humiditatem non habere vim seminis: nam si semen esset omnibus fæminis, contingeret illius profusio in coitu. At Viragines & mulieres fusco colore præditæ nihil huius humoris solent emittere.

Alia ratio accipitur, quoniam fæminæ coitu non emaciantur, ut mares, at si semen conferrent sine dubio emaciarentur: est enim semen substantia ex optimo sanguine confecta & spiritibus repleta: ex huius autem evacuatione sequitur macies, & decoloratio, quorum neutrum fæminis accidit, immo contrarium.

Præte-

Præterea multæ sunt quæ absque oblectatione ulla se concepisse testantur indicium manifestum defectus seminalis substantiæ. Imo cùm non perpetua sit fæminis in coitu oblectatio, suspicari consonum est, ijs quæ oblectantur, id contingere ex frictione & titillatu, non autem ex seminis ejaculatione: quid ni? nonnè pueri, & eunuchi quibus non est semen frictione genitalium delectantur.

Tandem indicium quoddam Aristotelem persuasit, ut crederet præter sanguinem menstruum, nihil aliud fæminam ad generationem conferre, illud autem est, quoniam eadem ætate maribus genitura fieri incipit & secerni, fæminis autem menstrua erumpunt, vox etiam mutatur, & mammæ intumescunt, nec non desinente ætate aboletur maribus generandi facultas, fæminis menstruorum confluvium. Atque hæc sunt præcipua, quæ semen fæmineum excludunt: in qua sententia totus fuit Aristoteles, nec est cur Capivaccius eum in contrariam deducere contendat. Neque etiam rectè Peramatus ex eo quòd Aristoteles dixit fæminæ semen materiam tantùm præbere: nam seminis nomine sanguinē menstruum intelligit, qui materiam tantùm præbet. Huius etiam sententiæ, quam Aristotelem sequutum fuisse, scimus, fuerunt etiam (referente Galeno) Herophilus, & Athenæus, & inter Arabes Avicenna, & Averroes.

1. gen. anim. citato.

4. gener. animal. c. 1.

2. de semi. c. 1.

Galeni sententia adversus Aristotelem.

IN prædictæ opinionis assertores insurgit Galenus, eosque manifestissimis demonstrationibus adeo convincit, ut ni sponte obstinati esse velint à sua sententia desciscere cogantur. Testes fæmina habet, vasa præparantia, semen, & ejaculatoria velut mares. Atque in animalibus quæ ad Venerem stimulantur, seminalis meatus multo semine plenus reperitur, vacuus contra statim post coitum. Non parva etiam seminis copia in iis interdum conspicitur, quæ jam diu conceperant, & gravidæ sunt. Nec verò satisfacit Herophilus qui postquam vulvam exactè descripsit, seminarium, inquit, meatum utrinque non admodum apparere, cùm tamen satis conspicuus sit, & iterum eundem meatum ad cervicem vesicæ inseri dixit, quod in nullo unquam animalium videre potuit, neque etiam verum est istum meatum ex vulva apertum esse. Exemplo confirmatur mulieris quæ uteralibus morbis vexabatur, & in vulvam prius, deinde ex ea foras & copiosissimum, & crassissimum semen effudit, quoniam namque diu vidua permanserat, tam multum, atque huiuscemodi collectum fuisse manifestum est: sed tunc ipsam lumborum, manuum, & pe-

Gal. ut supr.

& pedum distensiones quædam invaserant, ut convulsa esse videretur, in quibus excretum est semen, dicebatque se voluptate etiam simili affectam, qualis in coitu contingere solet: scimus autem ex Aristotele coitum epilepsiæ assimilari, unde par erat, ut si hæc mulier verum semen ejiceret, convulsivos motus epilepticis similes pateretur. Itaque semen huius mulieris, quia longo tempore fuerat acervatum, multum, & crassum semen erat, cùm tamen in aliis paucum, & subtile reperiatur.

Sed longè magis reprehensione dignum se exhibet Athenæus, qui ait, sicut maribus papillas, ita fæminis seminalia membra fuisse constituta: quæ etiam ratio Averroi placuit, cùm tamen à vera ratione valde distet: non enim, ut illi arbitrantur, similitudo ac convenientia in sola prima membrorum formatione servata fuit, sed functio etiam. Quod addiscere poterant ex eo quòd in maribus, præter paucos quosdam, non sunt in mammillis glandulosa corpora, quæ in fæminis maxima conspiciuntur. At in genitalibus membris non ita se res habet, nam fæminis non solum seminalia vasa, sed testes etiam semine turgent.

Sed pro semine etiam adest autoritas Hippocratis, quam Aristoteles non debuerat subterfugere: Legendus igitur toto *libello de genitura*, ubi passim utriusque seminis mentionem facit, & quonam illorum prævalente masculus an fæmina fiat, nos docet, & tum ibi, tum initio *libelli de natura pueri*, quem Galenus citat, misceri utrumque semen expresse tenet.

Et ne amplius immoremur in dogmatis manifestissimi probatione, similitudo filiorum ad matres omnino veritatem, quam cum Galeno profitemur, declarat. Nam ipsemet adversarii agnoscunt semini vim inesse, quæ fætum contingat, ac format. Formantis autem officium est (neque hoc quispiam negabit) alterutro ex parentibus similem, vel dissimilem fætum reddere. Cæterum illi dicunt fætui alimentum est sanguis, ex alimento autem advenit fætui ut sit similis matri. Cæterum cum multas afferant altercationes, quæ ex alimento proveniant, nunquam possunt eam afferre quæ speciem immutet: nam persica arbor in Ægyptum translata formam minimè immutavit, sed bonum tantùm alimentum nacta, esui idoneum fructum, cùm prius non esset, dicitur protulisse: neque oves unquam mutato pabulo capris, quæ prius eo vescebantur, similes evaserunt, neque capræ ovibus aut asinis aut equis.

In commistionibus diversi generis animalium fieri Athenæus ipse fatetur, ut fætus à matre quiddam peculiare accipiat: non accidentia quædam, ut in colore, in voce: non formæ affectionis, sed quod à matre in his provenit, tale esse ait, ut speciem quoque totam immutet: si

enim

enim asinæ semen equa in utero receperit, fætus non patris tantùm, sed ex utrisque mistam speciem præ se feret: si vulpem canis prægnantem reddiderit, quod nascetur non canis, sed mistum ex utroque animal esse. Imò verò ipse Athenæus plus à matre quàm à patre, volens nolens fætum accipere affirmat: nam in commistione vulpis cum cane, si canis mas fuerit, fætus vulpis specie præditus erit; si vulpes econtra, in canis formam evadet.

Tandem si formatrix vis est, quæ non solùm formam, sed tum effigiem tum membra reliqua format, quomodo in uno signo matrem, in altero patrem, unus & idem fætus quotidie similitudine admiranda refert? nunquid nasum simum efficit alimentum, oculos verò cæsios, sanguis menstruus? Cera aut creta, ex qua Phidias imaginem fingit, colorem quidem referre potest: caput verò manus & reliqua membra organica referre non potest. Hoc optimè agnovit Hippocrates, & propterea similitudinem filiorum accipit ex eo semine, quod in commistione alterum superaverit. His præcipuè sed etiam aliis jaculis obruitur Aristotelicorum opinio.

Solvuntur argumenta quibus persuadere conantur peripatetici & alii semen fæmineum non dari.

SI semen, inquit Aristoteles, esset, menstrua non essent. Sed cur? nempe quia menstrua fiunt ex cruditate, semen ex perfectione coloris. At non fit sanguis ex cruditate: quippe si ex cruditate fierent menstrua, utique sanguinis formam non haberent, sed pituitæ. Verùm quidem est calorem mulierum diminutum non discutere sanguinis portionem, ac propterea redundare in corpore fæmineo ob defectum scilicet discussionis, quæ in maribus multa est, & proinde absumit omne residuum, hinc evenit, ut diximus, quòd viragines, & quæ virilius exercentur, menstruis carent. At calor fæminarum, tametsi non sufficit ad discutiendas reliquias, sufficit tamen ad excoquendam magis exactè portionem illius quæ in vasis seminariis, & testibus seminis formam recipit. Deinde tametsi consideremus sanguinem menstruum ex cruditate esse, quid prohibet exiguam ejus partem melius concoqui in vasis ad id destinatis?

Humiditatem illam, cujus meminit Aristoteles, & quam salivosam medici appellant, fatemur cum eodem non esse semen: hæc autem multis deficit, & quamvis deficiat, nihil damni inde consequitur: quippe

etiam si ex ea sumi possit materia ad secundinas creandas, hæc aliunde accipi potest: nam & vir humiditatem in vulvam ejicit, & ex materia quæ in semine non est apta ad formationem fœtus, sumitur ea quæ allantoiden efficit: quippe generatio quædam quodammodo coctio est, omnis autem coctio sua habet excrementa. Itaque hæc humiditas non ejicitur cum delectatione. Sed poterunt respondere pueros antequam deveniant ad ætatem generandi semen & eunuchos hanc humiditatem cum delectatione ejicere. Respondeo, delectari ex confricatione, non ex humiditatis ejectione: deinde etiam natura puerorum, quæ jam incipit inclinare ad pudenda, & Eunuchorum quæ jam prius ex naturæ instinctu inclinavit, poterit illuc deducere spiritus quibus debetur delectatio: at mulier nihil istorum habet. Itaque assentimur Aristoteli dicenti hanc humiditatem non esse semen: non tamen assentimur eidem existimanti præter illam non dari alteram substantiam, quæ verum semen est.

Fœminæ coitu non emaciantur quoniam non valde multum est quod in semen absumunt: præterea fœminæ quæ coeunt, magis sunt sanæ ex Hippocratis sententia, quare paucum illud quod coitu deperditur, sanitate cum fœnore resarcitur. *de genit.*

Fœminas sine oblectatione aliquando posse concipere non negamus, hujus rei varias attuli causas in meo *de Meteoris Microcosmi libro*, neque acquiescendum est Fernelio, qui mulierculatum dictis fidem habendam esse negat, & propterea non posse sine oblectatione in coitu mulieres concipere constanter tenet. Verum cum Hippocrate mulieribus de partubus fidem derogare non oportuit, dicunt enim omnia, & semper dicunt, & semper proferunt, neque enim aut opere, aut sermone persuasæ sunt, sed ex eo quòd cognoverunt in corporibus suis contigisse. Quare potius dicendum est aliquando semen cadere in utero fundum, ubi sensus aliquantulum hebes est, ac propterea non sentiri eam oblectationem, quæ quando uteri os tangit, percipitur. Pueri autem, & Eunuchi frictione delectantur, delectatur etiam frictione mulier, nec delectari desinit, ut inquit Hippocrates, nisi postquam vir semen emiserit. Cæterum delectatio quæ fit à confricatione, diversa est ab ea quæ fit in seminis emissione, ut viri etiam in se ipsis agnoscunt, jam enim dici ex Aristotele in seminis emissione sentiri epilepsiæ similem convulsionem. *de septimest. partu.* *de genit.*

Quod autem eadem ætate, & mares semen emittere incipiant, & fœminæ menstrua, non est cur nos moveat ad existimandum menstruam evacuationem respondere semini: nam fœmina & cum viro generat, & sine viro nutrit: quare utroque opus habet, & semine ad generandum,

&

& sanguine ad nutriendum. Negabunt forsan fœminam cum viro gignere, sed id satis probatur, tum ex aliis quæ dicta sunt, tum vel maximè ex eo quòd fœmina potest in coitu delectationem illam, quæ sentitur in emissione seminis accelerare, & tardare majore aut minore libidine tardiore aut concitatiore motu acta. Unde viri operis generationis periti monent ut mulieres simul secum ad expulsionem serventur & concitentur. Hinc Ovidius,

Odi concubitus qui non utrinque resolvunt.

Sed ut nihil sine responsione maneat, satisfacere oportet scrupulis, quos nobis Aristotelici ulterius injiciunt.

An mulier possit concipere sine Viro.

PRæcipuum, & quod validissimum esse arbitrantur est, si mulier habet semen, habet etiam menstrua, poterit absque viri consortio in utero concipere. Ad hoc respondendum est naturam, ut mutuis illecebris se se mas, & fœmina incitarent, ea lege duo semina efformasse ut neutrum eorum sine altero sufficiens sit ad perfectam prolis generationem. Hoc ostendunt ova subventanea, quæ sine maris semine producta imperfectum quiddam sunt, quippe ex se non possunt aliquid generare. Multi etiam pro exemplo afferunt molas, quas sine virili semine gigni posse contendunt; cæterum hæc opinio (ut suo loco referam) non mihi arridet, idcirco ab exemplo supersedebo. Afferam tamen pisces (de quibus Aristoteles) quorum fœminæ ova emittunt, masculi suo semine ea respergunt, quod facere non oporteret, si fœmineum semen duntaxat sufficeret. *6. de hist. c. 14.*

Sed adhuc urgebunt: nam Hippocrates ait semen fœmineum aliquando fortius esse, & ab eo semen virile superari: si ergo habet quicquid muliebre habere debet, ut ulterius quicquid à virili expectatur, non est cur tunc temporis sit necessaria duorum seminum permistio. Verba Hippocratis sic habent, *Quandoque fortius est semen à muliere emissum, aliquando vero debilius: similiter etiam quod vir emisit. Et est tum in viro fæmineum, itemque masculum semen tum itidem in muliere.* Videtur ergo velle aliquando mulieres habere in se simul cum fœminea potestate virilem etiam adjunctam. Respondeo tamen ea quæ apud Hippocratem sequuntur, manifeste ostendere in hujus magni viri doctrina requiri utrumque semen: ait enim *si ab utrinq; semen fortius prodierit, masculus erit partus, si verò debile, fæmina nascetur. Utrum autem multitudine, ac copia pravaluerit, juxta illud ipsum partus nascetur: si enim multò plus fuerit debilis seminis quàm* *Hipp. de genitura vide explicationem hujus autoritatis Hippocratis, apud Mundinum part. 1. c. 15. pag. 71.*

fortioris, superatur forte, & debili permistum in fæminam transit, si verò plus fuerit fortis seminis quàm debilis, superatur debile in marem transit;, & quæ sequuntur, quæ ostendunt ad sexuum quidem discretionem attendi ad quantitatem debilis aut fortis: nihilominus ad generationem semper supponi duo esse semina, nec unum quantumvis forte, sufficere. Imò verò id confirmat, quoniam ait multas mulieres peperisse fæminas, ex propriis viris, quæ ad alios transgressæ masculos pepererunt, ad aliarum mulierum misturam progressi masculos genuerunt. Nonne hæc ratio convincit in fæmina quidem genituram fæmineam & masculum inesse, cæterum quæ non sufficiat proli gignendæ, sufficiat tamen sexui producendo.

lib. 2. controv. c. 7. Vallesius existimat rationem cur fæmina per se solam non possit concipere, esse quoniam si fæmina debilis est, & parum calida, semen habet invalidum, & quod necessarium cocturam assequi non potuit, si verò calidissima, tunc menstruis carebit, quippe sanguis tanquam in viris multo calore diffusus discutietur, & evanescit, unde jam diximus viragines menstruis carent. Hanc responsionem sumpsit Vallesius ex Galeno *lib. 2. de semine c. 6.* Sed revera falsa est, nam viragini non deest tantus sanguis, quantus sufficiat ad generationem: quandoquidem, & copiosissimas sanguinis fluxiones, & sanguinis missiones tolerat, præcipuè cùm ex Aristotele mulier, licet menstruis careat, possit gignere, quia tantum sanguinis congregat in utero quantum sufficit ad prolis formationem: sufficiet etiam ad nutritionem tempore procedente sanguis quem uterus trahet ad nutrimentum fætus. Quod si deesset sanguis, fierent in viraginibus crebri abortus: deinde falsa est eadem responsio quia non est impossibile dari fæminam, quæ nec sit adeo calida, ut virago, nec adeo frigida, ut menstruis careat. Solutio ad prædicta solùm spectat ad duo extrema & omittit medium, quæ arguta valde est, meus concivis ut argutam commendat, sed ut parum veritati consonam rejicit: quippe ut ipse ait, menstruus sanguis fætus materia non est, sed pabulum post septimum diem: quare potius si fæmineum semen, completum haberet actionis principium, conciperet quidem perfectè, sed non aleret. Cæterum manifestè deceptus est, nam ad fætus generationem non solùm utrumque semen, sed sanguis etiam menstruus concurrit: unde psaltria sexta die jam ex sanguine, & materia alba permistum quoddam ejecit, imò verò si membra alba duntaxat fiunt ex semine, carnosa ex sanguine, multo melius, & magis manifestè in generatione fætus apparet sanguis, quàm semen. Præterea in Aristotelis doctrina quæ semen fæmineum negat, sanguinem ad generationem admittere oportet, quod si nos cum Galeno semen fæmineum addimus, non propterea sanguinem rejicimus.

Illud

Illud tamen non negarim, nempe perperam à Vallesio dictum esse in fæmina nihil deficere, quo minus sine concubitu concipiat: quippe quæ in se ipsa materiam, & efficiens principium habet, & propterea ut prober mulierem sine viro non concipere, confugit ad prædictam rationem. Sciat tamen oportet efficiens quidem principium, & in muliere, & in viro inesse. Efficiens, inquam, in singulis, non tamen in singulis sufficiens, sed naturæ instituto actum esse ut quod in plantis uno semine tribuit, animalibus tribuatur duobus, cujus opinionis fuisse videtur Plato, qui fabula quadam hanc doctrinam involvit, quippe hominem antiquitas quatuor habuisse crura, quatuor brachia, duo capita, & reliqua omnia duplicia, fulminatumque à Jove in duo divisum fuisse, quare cum vir, & fæmina conjunguntur, unumquodque suum quærit dimidium, & sic duo semina dimidiata, unum integrum efficiunt. Hanc fabulam possumus exponere verbis Hippocratis, dicentis, *ex utriusq; permistum, unum perfectum semen constari.*

Sed est alia ratio quæ fæminei seminis necessitatem tollit: quippe menstruum lacti comparatur semen virile coagulo, cùm igitur fœtus formatio comparetur caseationi, juxta illud, *nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* non est ergo necessarium tertium aliquid, quod generationem fœtus ingrediatur, nempe semen fæmineum. Nos in eadem responsione persistentes dicimus gerere quidem semen vices coaguli, semen, inquam, utrumque completè, incompletè autem unumquodque eorum. Sed occurrit Averroes. Si seorsim non habebant tantam vim, cur simul eam habent? Vndenam seminibus conjunctis vis advenit nova, quam disjunctum unumquodque eorum non habebat? Interrogabo ego vicissim undenam duo homines vim habeant movendi lapidem, quem singuli movere non poterant? Nonne semen utrumque est ejusdem speciei infimæ? ita sanè, neque enim diversitas specifica potest eis evenire ex parte formæ: quippe maris & fæminæ formæ substantiales ejusdem speciei infimæ sunt, neque ex parte materiæ: quippe utriusque seminis materia est sanguis, qui non differt specificè: potest etiam probari identidas specifica ex Galeno, qui aliquando habet hæc verba: *sive enim fæmina semen, sive sanguis qui in matrices promanat, motus principium quoddam conferat, omnino motus principium cum maris semine idem omnino putandum est.*

20. *Lectio.* *Iob.* 10. 14. *de usup.* c. 7.

Itaque supposito quòd semina sunt ejusdem speciei, quid prohibet concurrere partialiter? sed dicent Aristotelici ex eo quod semina sunt ejusdem speciei infimæ, potest colligi fæmineum posse abesse, & sufficere masculinum. Nam sic actiones utriusque erunt etiam unius & ejusdem

ſpeciei ac propterea poteſt ſemen viri in ſua perfectione adeo creſcere, ut non ſit neceſſarius concurſus ſeminis fæminei, ſicut ex duobus tollentibus lapidem, poteſt unus adeo viribus augeri, ut ſufficiat ſine altero. Licet enim quando agentia partialia ſunt diverſæ ſpeciei, nunquam poteſt unius vis ita augeri ut ſuppleat vices alterius, u. g. intellectus, & ſpecies intelligibilis concurrunt ad intellectionem, nunquam tamen intellectus ad tantam perfectionem deveniet, ut ſine ſpecie posſit intelligere. At tamen (ut jam probabimus) ſemen viri, & ſemen mulieris ſunt ejusdem ſpeciei, quare nihil prohibet poſſe unum adeo augeri in ſuo robore, ut alterius ſuppleat robur.

Quòd ſi reſpondeamus unum ſemen non eſſe ſufficiens in quantitate alterius, adhuc poſſunt dicere poſſe quantitate unius, aut intenſiva qualitate ejusdem ſuppleri quantitatis alterius defectum, quando ſcilicet agentia partialia ſunt ejusdem rationis. Supponamus enim virum alioquin valde fæcundum producere duplum ſeminis magis quàm producunt alii, aut efficaciore vi præditum, nonne tunc poterit ſine adjumento alterius unum ſemen agere? poſſunt namque ſemina duorum virorum fæcunda in unum conjungi: ſi enim poteſt interjectis pluribus diebus poſtquam genitus eſt conceptus alter de novo fieri, ut patet in ſuperfætationibus, non erit imposſibile accidentibus duobus hominibus unum poſt alium immediatè aut uno homine qui vix ſemen ejecit, ſtatim reiterare effuſionem.

Hæc reſponſio, quæ tamen ſuum habet autorem, pace ejus ſit dictum, videtur fatua. Nam inprimis ſuppleri quantitatis defectum unius viri quantitate ſeminis alterius, res inaudita eſt, neque duo individua poſſunt adeo eſſe inter ſe ſimilia, ut ſemen alterius. Deinde ſi ſupponamus unum, & eundem virum bis effundere ſemen conſecutive, primum ſemen jam fuit ab utero comprehenſum, quare ſecundum reſpuitur: exemplum autem ſumptum à ſuperfætatione inane eſt: nam aliud eſt unius fætus formationem fieri duobus ſeminibus, alterum ex iisdem duobus, in diverſis tamen temporibus, formari duos fætus, hoc eſt, ut formato jam uno fætu, uterus mulieris gravidæ ſolita aviditate alterum formet. Imò verò miror quòd ſuperfætatio non ſit admodum frequens, cùm conſtet mulieres gravidas magis quàm non gravidas in coitu delectari.

Itaque non poteſt unum tantùm ſemen aucta quantitate alterius vicem ſubire: ſed neque intentione qualitatis: etenim natura quæ marem & fæminam efformavit, qualitatem ſingulis eorum tribuit certo qualitatis termino circumſcriptam; quod probo quia virtus uniuscuius-

que

que ſeminis vel habet intenſionem determinatam, vel non habet: ſi eã non habet, poterit augeri in infinitum quod nemo dicet, ſi habet debet eſſe tanta quanta ſecundum ordinem naturæ ſit conveniens, ſed ordo naturæ eſt ut mas & fæmina ſint ſobolis autores: ergo intenſionem ſuam quodlibet iſtorum ſeminum habere debet. Quod autem ex ſtatuto ordine naturæ effectus generationis debeatur utriſque, ex eo conſtare videtur, quia non minus poſtulat naturæ ordo ut filius referatur ad matrem, quàm ad patrem refertur per realem reſpectum ad patrem, ergo per ſimilem referri debet ad matrem.

Nec valet ſi dicatur matrem dici ob materiam tantùm: nam ſi ob materiam tantùm ita diceretur, ſanè mater eſſet ob potentiam paſſivam, quippe materiæ eſt pati, & ſecundum hanc reſponſionem dicunt aliqui materiam habere, ſe merè paſſivè, quod tamen eſt falſum: nam filius refertur ad matrem potentia activa. Nam relationes hæ inter filium, & matrem funduntur in potentia activa, & paſſiva mediante actione & paſſione, ſed matris relatio non fundatur mediante paſſione, ergo mediante actione, hæc autem actio nulla alia eſt quàm generatio, ergo mater activè concurrit. Præterea relatio patris, & matris ad filium ſunt ejuſdem ſpeciei, ſicut mater, & pater in ſpecie infima conveniunt. Cùm autem relationes diſtinguantur per fundamenta, ſi fundamenta ſunt eadem ſpecie, eædem etiam ſpecie ſunt relationes.

Itaque ad prædictam peripateticorum editionem, quod ſcilicet cùm ſint duo ſemina cauſæ partiales eiuſdem ſpeciei, poſſit unum ſupplere vicem alterius. Reſpondere poſſumus quando duo homines v. g. tollunt lapidem, poſſe quidem virtutem unius adeo creſcere, ut ſuppleat virtutem alterius. Hoc quidem fatemur, quia impulſus duorum tollentium lapidem in unum coaleſcit, ac proinde impulſus duorum eſt veluti unus impulſus magnus: poterit ergo impulſus unius ad eam magnitudinem pervenire, quæ ſit velut duorum. At in concurſu maris, & fæminæ non ita res habet: conferunt enim virtutem, quæ non coaleſcit in unum: quippe ſemen virile temperatur à fæmineo, fæmineũ perficitur à maſculo. Vtrumque reducitur ad unum medium neceſſarium, & ſic obiter reſpondetur Averroi quærenti, ſi unumquodque ſeminum ſeorſim non habet vim generatricem, unde nam ei advenit hæc vis, cùm ſunt conjuncta? advenit, quia ex conjunctione reſultat qualitas, cuius neutrum eorum per ſe erat capax. quod indicat opus naturæ, quæ iccirco marem & fæminam fabricavit, & hoc ex ſacræ paginæ autoritate probari poteſt, quippe dicitur, *maſculum, & feminam creavit eos, &c.* Ergo ex iis quæ diximus patet quomodo ſit reſpondendum iis, qui verum ſemen

2. collig. c. 10.

Geneſ. c. 1.

activum

14. *usup. c.11.*

activum mulieri non concedunt. Neque verò existimet aliquis Galenum aliquando istius sectæ hominibus assensum præbuisse, quoniam fæmina cum masculo frigidior sit inconcoctum adeo tenuemque, in glandulosis parastatis hunc humorem habet, ut nihil ad prolis generationem conferat, & quæ sequuntur. non, inquam, Galenus negavit seminis muliebris efficaciam, neque huius seminis ibi est sermo, sed cuiusdam humiditatis de qua nos jam egimus, & Galenus superius de eo dixerat. Porrò qui humor in illis corporibus glandulosis gignitur, in meatum urinariũ effunditur, in masculis quidem unà cum semine in matricem delatus; in fæminis autem & foras in muliebre pudendum effusus. Sed quoniam cum oblectamento effundi dixit, ipse se ipsum inferius declarat, nempe oblectamentum non oriri ex effusione huius humiditatis, sed ex semine quod simul effunditur. Verùm in coitu quidem repente ac simul unà cum semine delabitur, sensumque iccirco sui facit, reliquo autem tempore omni paulatim, ideoque sensu non deprehenditur. Tandem si quis dixerit non esse activum, quoniam inconcoctum, aquosumque est, sciat oportet esse quidem aquosum, sed non usque adeo, ut possit omnino incapax esse, ut effectivum principium dicatur, sed aliquantulum minus quàm masculinum. Constat hoc ex ipso Galeno dicente, *est igitur fæmina mare imperfectior, una quidem ac prima ratione quia frigidior: siquidem in animalibus calidum est activum magis, frigidum autem calido minus*; dixit esse frigidum minus effectivum, non tamen non effectivum penitus. Cæterum Conimbricenses qui tamen possunt dicere amicus Aristoteles, sed magis amica veritas, quia nempe in hac re Aristotelem deserunt, & Galenum sequuntur, respondent aliter ad argumentum, dicentes causam partialem posse augeri adeo ut per se solam possit effectum aliarum supplere, non in iis causis instrumentalibus, quarum una ex naturæ lege quoad suum cõcursum ab alterius consortio & virtute dependet.

Eodem lib. c.6. in prin

Conimb. de ortu & inter. lib. 1. c.4 q.27. art.2. ad secundum.

Porrò satis videtur demonstratum fæminas habere semen, & in semine effectivum principium generationis: mihi autem præter omnes jam allatas demonstrationes, una instar omnium est, quod ea quæ sunt eadem in specie easdem dicuntur in specie facultates habere: vir, & fæmina conveniunt in specie infima, conveniunt igitur in facultatibus, facultas maris est activa, debet etiam fæminarum activa esse. Restat tamen dicere ex Aristotele marem, & fæminam duo contraria esse, ergo, & facultates utriusque contrarias esse debere: quemadmodum enim albi est proprium disgregare visum, nigri congregare, sic maris est generare activè, fæminæ verò passivè. Cui objectioni respondemus album, & nigrum specie differre, ac proinde posse habere proprietates specie differentes.

rentes. mas autem, & fæmina (ut diximus) non differunt ſpecie , quod ab Ariſtotele accipimus, dicente : *mas, & fæmina, ſpecie idem ſunt* : quando autem idem Ariſtoteles alibi ait : contrarium maris fæmina eſt, videlicet *1. gener. anim. c. 10.* quia *alterum mas ; alterum fæmina eſt*, non accipit contrarietatem propriè *4 gener. animal. c. 1.* ſumptam: hæc enim non reperitur inter individua ejusdem ſpeciei, quippe verè contraria ſunt , quæ ſub eodem genere maximè differunt. quare opponuntur propria ratione, ſeu definitione , *eſt enim mas animal quod in alio gignit, fæmina quod in ſeipſo* : præterea Ariſtoteles quærit cur mas , & *10. metaph. c. 4.* fæmina non differunt ſpecie, cùm ſint contraria ; reſpondet quædam cō-traria differre ſpecie , alia minime. Porrò contraria poſſunt conſiderari dupliciter, vel reſpectu generis ſub quo continentur, vel reſpectu ſubjecti quod denominant ; primo modo differunt ſpecie ut album, & nigrū ſub colorato ; ſecundo verò minime, quia non ſemper cauſant ſpecificam diverſitatem in ſubjecto.

Volunt tamen aliqui, ſi mulier habet materiam , & principium effectivum poſſe ex coitu duarum fæminarum inter ſe, prolem gigni, quod *Vide Carr. in Avic. pag. 1029.* ſi poſſibile eſt, non erit prohibitus coitus fæminæ cum fæmina , quippe prolificus cùm ſit, præter naturam eſſe non poteſt. Nec valet ſiquis dicat fæminam non habere inſtrumentum quo in alterius fæminæ uterum ſemen ejaculetur; nam ſufficit vis uteri tractrix , quæ ex ore pudendi poteſt trahere ſemen. Vnde Amatus Luſitanus narrat mulierem concepiſſe quia rem habuit cum alia quæ paulo ante cum marito concubuerat. *7. cent. cur. 18.* Cæterum abſit ut hunc concubitum, prolificum, & non damnatum eſſe, dicamus. Solvitur autem hæc ratio quia ut jam ſuperius manet inculcatum, fæmineum ſemen nunquam poteſt ad tantam perfectionem aſcendere ut virili adæquetur in opere generationis; hoc autem ad naturæ ordinem , quæ ſuas cuique tribuit proprietates , referendum dicimus. proprietas ergo intrinſeca, & profluens ab ipſamet fæminæ natura, eſt generare in ſe ipſa, ſi igitur poſſet generare in alio coincideret cum definitione maſculi, & ordo naturæ confunderetur.

Defenditur Galenus à Scaligeri calumnia.

ADeſt Julius Cæſar Scaliger, & falcem mittit in ſegetem alienam (ſi *Exercit. 268.* aliena aliqua ſeges eſt ei qui omnia ſe exactè ſcire profitetur) quoniā verò Ariſtotelem, cui aſſentitur, ſemen fæmineum non eſſe ſemen dixiſſe, ait, Galenum carpit qui adverſatur, & litigat, cauſas autem nec ponit, nec tollit, neque novit. Mira hominis temeritas, qui forſan Galeni ſcripta ne primoribus quidem tetigit labris, neque enim ſi quæ ille in libris,

præcipue de semine scripsit legisset, non nisi mentis impos causas huius veritatis Galenum latuisse negaret, quas nos superius ex eodem retulimus.

Neque solum in hoc peccat, sed etiam quod Aristotelicam sententiam se Aristotelico argumento stabilire profitetur, hac ratione inquit coactus est Aristoteles secludere fæmineum semen. qua nam ratione? nempe ea quàm mox subjiciam, & quàm ne imaginatione quidem pervolutavit. Imo verò rationis assumptum ut videbitis Aristoteli adversatur. Supponit duo verissima quidem, unum est ex duobus entibus per se fieri non potest, unum ens per se fieri, quod probat quoniam in omni generatione fit corruptio (ut loquuntur) à termino à quo: hypothesim admitto, nempe ex duobus entibus per se non posse fieri unum, per se dummodo fieri intelligat, hoc est generari, nam in mistione potest unum compositum fieri ex pluribus entibus per se, plura enim elementa efficiunt unum mistum, & in eo incorrupta manere, opinio est præclarissimorum authorum. Altera hypothesis ex duabus formis tamen indivisibilibus, nam divisibiles possunt coalescere in unam, ut duæ partes aquæ duas suas formas habent, quæ tamen in unam conveniunt si conjungantur. Itaque Scaliger qui sealiorum censorem exhibet sine censura deberet se ostendere, neque theoremata absolutè pronunciare quæ, secundum quid possunt exceptionem pati.

Sed admittamus duo ista pronunciata nam revera in subjecta materia vera sunt, tametsi universim vera non sint. Quid ergo ex illis colligit? nempe generationem non nisi duabus aut pluribus corruptis substantiis potest una fieri: quid ni? nonne potest ex una duntaxat corrupta substantia fieri etiam una? hoc illum debuerat docere Aristoteles qui ait, *corruptio unius est generatio alterius*, dixit *unius* non verò duorum, aut plurimum. Addit ille ex putridis mistis fieri animal. At ego non video fieri animal nisi ex putredine unius. Fiat tamen ex plurium putredine. Quid inde? infert ille hoc modo igitur ex duabus formis tanquam ex partibus non potest una forma fieri, sed illis abolitis, una potest in eam quæ illarum formarum fuerit, materiam introduci. Hoc licet concedatur (ne in singulis immoremur) nihil tamen ad rem facit: nam ex duabus abolitis unam introduci verum est, & Galeni opinioni non adversatur: sint enim duo semina ac proinde duæ formæ, ex his duabus formis abolitis una introducitur, nempe forma geniti: At scaliger non vult formam geniti esse diversam à seminum formis siquidem inquit, *in semine enim est, & materia, & forma futuri canis: neque differt à cane canis semen nisi sicut potestas ab actu: quia semen fit actu canis perficiendo, non autem per putrefa-*

ctionem

fectionem (ut alibi demonstratum est) neque dicitur alio modo corrumpi semen, nisi quia desinit esse quomodo erat: scilicet potentia; & fit quomodo non erat, id est actu. Est autem materia eadem cum eodem principio formali, cui nihil aliud additur quam organorum expressio, quæ confusa prius erant. Igitur est ens quod erat, sed non quomodo erat. Quia essentia seminis est hæc esse quod est ut aliud sit, id est animal, &c.

Hic inprimis considero sumptum pro exemplo canem, & canis semen, sed cur ad canem confugit? nempe ut hominem fugiat: cùm enim dicat non differre à cane canis semen; non auderet dicere non differre ab homine semen hominis: noluit forsan impietatem detegere quam tamen non valdè occultavit; nam si canem proponit pro exemplo, & inde argumentum ducit ad omnia animalia, sicut in semine canis ait esse materiam, & formam canis, ita etiam in semine cujusvis animalis erit materia, & forma ejus. At si cujusvis ergo etiam hominis: si etiam hominis, ergo forma hominis non aliter ac reliquæ formæ educitur de potentia materiæ. Si ita sentit impius est, sin aliter debuerat explicare cur excipitur ab hac propositione homo, si id explicet; & excipiat hominem: sciat oportet Galenum de generatione hominis loqui. Et sic subtilitas tua ò Scaliger, aut in impietatem, aut in ruditatem abit.

Perge ulterius cum generatur canis, semen non corrumpi, sed perficiair; perfici quidem admitto, neque est mirum substantiam genitam esse nobiliorem, quàm corruptam. Sed non corrumpi semen, ut generatio fiat, est inprimis (ut impietas tua magis detegatur) contra veritatem evangelicam: sunt enim verba Redemptoris nostri, *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et quoniam impietati semper adjungit ignorantiam ab Aristotele, quem recipis, ignarus recedis, nonne apud eum legisti corruptionem unius esse generationem alterius & econtra? imo ex hujus vicissitudinis necessitate probat Philosophus perpetuitatem generationum.

à quo corrumpatur semen vide Carr. super fen. pag. 108 column. pra.

Ioan. c. 12. n. 24.

de ortu & inter lib. 1. tex. 7.

Sed tu dicis semen canis esse canem in potentia, atque ita non corrumpi, sed reduci ad actum accepta organizatione quam non habebat, ac proinde esse id quod prius erat. Sed tu subtilitate tua evanescens, ignoras aliud esse aliquid esse in potentia, aliud continere aliquid in potentia. Sic gelu continet aquam in potentia, aqua igitur quæ est in potentia non corrumpitur, sed reducitur ad actum, hoc tu perfici appellas, sit ita. At gelu quod continebat aquam in potentia dissolvitur ut reducatur aqua ad actum. Accede ad semen: contines semen canis, organizationem canis in potentia, hæc organizatio quæ in potentia est ac proinde imperfecta atque confusa reducitur ad actum, perficitur, & ordinatur.

dinatur. Semen tamen quod continebat organice canem in potentia corrumpitur, & corruptione sua præbet locum organis canis ut acta sint, hoc est ut introducatur forma canis, quippe forma est actus corporis organici.

Iterũ Aristotelem facis dicentem quod nunquam dixit. Nactũ fuisse ais argumentũ à plantarum semine à plantarũ similitudine in earum semine unũ tantum est principium generationis, idq; ex nulla coitus participatione. Non ostendes usquam apud Aristotelem ductũ argumentũ à similitudine seminis plantarum ad excludendum semen fæmineum, tuum est istud argumentum, qui poteras illud omittere: cùm enim dicas plantas gignere ex nulla coitus participatione, jam ostendis non posse ex iis argumentum duci ad animalia quæ coitus participatione gignunt. Terra utero comparatur, & propterea plantarum mater dicitur, sed cùm plantis Aristoteles sexuum distinctionem negaverit, quam tamen animalibus concesſit, non est quod in necesſitate utriusque sexus similitudo à plantis ad animalia accipiatur. Plura adhuc effutiendo pronunciat, quæ quoniam Cardanus contra quem scripta sunt, merito contempsit, merito etiam à nobis in præsentia contemnuntur.



INDEX RERUM.

S Sol-

FINIS.